DE

TIBULLI PROPERTII OVIDII

DISTICHIS

QUAESTIONUM ELEGIACARUM

SPECIMEN.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA ALBERTINA ORDINIS AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
DIE XXVI. H. XII. M. MARTII PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUALTHERUS GEBHARDI
LYCCENSIS.

Rudolf [illegible]

ADVERSARII ERUNT:
W. KLEIN, CAND. PHIL.
R. BUCHHOLZ, STUD. PHIL.

7089

REGIMONTI PR. MDCCCLXX.
TYPIS HARTUNGIANIS.

DR. CAROLO SCHAPERO

GYMNASII FRID.-GUIL. POSNIENSIS DIRECTORI

DR. HERMANNO HAMPKIO

GYMNASII LYCCENSIS DIRECTORI

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

PIETATIS CAUSSA

Reputanti mihi quam saepe et fere quotannis de poetarum Augusto aequalium arte elegiaca libelli vel scholastici vel academici evulgentur in publicum mirum videtur esse, multa adhuc restare, de quibus aut non sit omnino aut non satis accurate disputatum. Etenim cum et severissima et elegantissima in distichis pangendis arte usos esse Tibullum Propertium Ovidium ubique decantatur, pauci tantum viri velut novissime Ernestus Eichnerus[1]) non frustulis nescio quibus delibatis sed omnibus versibus diligentissime excussis de distichorum poetarum illorum natura atque indole, de proprietate et differentia satis accurate disseruerunt. Quae cum ita sint paratum et ipsum impulit Lehrsii, viri ill. consilium atque auctoritas, ut in arte versuum summorum artificum perscrutanda operam collocarem. Qui cum iam anno 1863 dissertatione Adversarien über die sog. Ovidischen Herroiden inscripta[2]) haec carmina fraudis suspicione gravissima premeret, etiam a distichorum aliquot ratione singulari atque inculta argumenta ut videbatur iusta petiit, quibus ut ceteris auctoritatem inveteratam Heroidum funditus convelleret. Ac primum quidem Her. III. 87. 88. (ed. Hor. p. CCXXX) eiecit, cum his versibus retentis tres hexametri elegiaci[3])

---

[1]) De poetarum Latinorum usque ad Augusti aetatem distichis quaestionum metricarum particulae duae. Vratisl. 1866.

[2]) Quam Horatii editioni nuper publici iuris factae prooemio addito inseruit inde a pag. CCXXII—CCLIV.

[3]) Tandem aliquando tempus esse cum Schmidtio Leitfaden der Rythmik und Metrik Leipzig 1869 p. XIII. f. p. 99. censeo, ut a perversa pentametri voce refugiamus. Quare semper, hunc versum, Schmidtio auctore, ut supra factum est nominabo hexametrum elegiacum, hexametro heroico subiectum. Ceterum iam Ovidium ex Pont. III. 3, 30, dixisse se senis pedibus quinque apposuisse notandum est.

eadem substantivorum et attributorum structura conditi deinceps propagentur, quam ob rem nostrum erit dilucide exponere de Tibulli Propertii Ovidii arte elegiaca, quatenus in substantivis cum attributis suis conectendis cernitur, ut de hac re certis legibus nisi iam scire quantum quidem fieri potest incipiamus non opinemur. Sequitur alia de arte elegiacorum quaestio num ferendum sit, id quod ab auctore epistulae quartae decimae factum est, tria verba bisyllaba ita coniungi, ut grammatici accentus nulla prorsus ratio sit habita (Lehrs ed. Hor. p. CCXLI):

107. per septém Nilús portús emissus in aequor

et non multo antea:

95. illa Jovís magní paeléx metuenda sorori.[4])

Tertia denique quaestio de iis distichis instituenda erit quorum ambítus extra gyros verborum exspatiantur, cum ea potissimum sit distichi Latinorum norma quia ‚quasi quoddam melicae strophae genus est, ut quantum maxime fieri potest

---

[4]) Equidem ut iam hoc loco haec paucis illustrem, me partes eorum sequi confiteor, qui cum Rittero Röckhio Corssenio grammatici accentus poetas rationem habuisse negant, neque versus illos iure Ovidii indignos haberi posse contendo, cum frequentissimis exemplis inprimis ex carminibus amatoriis petitis luculentissime evincatur non id egisse poetas elegiacos, ut tria verba bisyllaba contra accentum grammaticum componi vitarent. Extant enim quadraginta octo versus tali modo constructi in am. carm. saepe angusto spatio dirempti, pauca appono: Parthe dabís poenás. Crassí. — Cum surgít surgés. Donéc. Cera vadúm temptét rasís. Illa sonát raucúm quiddám, et sic spatio brevi intermisso rem. 213. 227: Tu tantúm quamvís firmís. Saepe bibí succós quamvís; cf. 361. 369. am. II. 2, 45. 49. ars. 503. 525 alia. Unus tantummodo huius modi generis versus suspicionem excitat am. I. 15,17 ‚dum fallax servús durús pater improba lena‘ nominativis tribus sic positis, cuius simile exemplum nonnisi in Sapphus epistula (Her. 15,63) vidi: arsit inóps fratér victús. Sed illi facile medela suppeditat verbis primis transpositis Fallax dum servus. Heroides quidem non abundant exemplis huc pertinentibus excepta illa epistula, in qua quattuor huius generis versus insunt 63. 73. 75. 141. Neque Tibullo neque Propertio desunt tales versus, ille quidem etiam deinceps ponere I. 2,19. 21: illa docét furtím mollí et ‚Illa viró corám nutús non‘ dubitavit. Quibus omnibus cognitis illos Heroidum versus 14,95. 107 in dubitationem vocare vix licebit.

strophae fine verborum etiam circuitus contineatur. Quocirca Lehrsius in epistulae Medeae nomine inscriptae vv. 137—142. Ut subito etc. iure haerere videtur l. c. p. CCLIV. neque se in Ovidii amoribus praeter I. 3, 7. II. 16, 33. II. 9, 1. II. 11,1 [5]) disticha similiter composita vidisse dicit. Uberrimam extare materiam apparet, sed rei ponendus est modus, neque nunc vel primam quaestionem, quae de substantivorum et attributorum nexu artificioso instituenda erit angustis huius dissertationis finibus totam in cludere possum, sed quasi specimen caput praemittam de hexametrorum elegiacorum, in quibus duo substantiva cum singulis attributis coniuncta sunt, structura atque indole accurate conscriptum. Qua cum ratione quartam omnium quae ad nos venerunt, Tibulli Propertii Ovidii hexametrorum partem, eamque longe gravissimam re diligenter perpensa amplectamur, de ceteris et de hexametris heroicis brevius agere licebit. Tum demum ad duas quae restant partes explanandas accedam. Nunc autem antequam munus nostrum suscipiamus verba Drobischii [6]) philosophi celeberrimi in mentem revocare iis placet, qui naso suspenso laborem nostrum despiciant: Wie berechtigt nun auch bei jedem wahren Dichter die Voraussetzung ist, dass die Form des Verses stets mit dem, was er ausdrückt in einem gewissen Zusammenhang stehe, so ist doch desshalb die abgesonderte Betrachtung der blossen Form, die Aufzählung der überhaupt möglichen Formen keineswegs ohne Wert. Denn es werden dadurch bestimmte Thatsachen gefunden, über deren sprachliche und ästhetische Gründe Aufschluss zu geben vorbehalten bleibt. Quare primum de formis et usu formarum tabella adiutus cum disputavero iam de rationibus quibus in variis formis adhibendis usi sunt elegiaci exponam. Quibus iam accingor exponendis.

---

[5]) Quibus adicio I. 11,1. II. 13,7. nisi, quod verisimile videtur esse, operarum incuria II. 9,1. II. 11. 1. quae disticha huc non spectant, pro I. 11,1. II. 13,7. irreepserunt. Praeter hos quattuor locos alios ne ego quidem vidi.

[6]) Statistischer Versuch über die Formen des lat. Hexameters in: Berichte der säch. Gesellschaft der Wissenschaften 1866 p. 77.

Pars prima.

De nexus artificiosi substantivorum et attributorum in hexametris elegiacis Tibulli Propertii Ovidii usu ac ratione.

„Sie machônt iz sô rëhtaz joh sô filu slëhtaz,
Iz ist gifuagit al in ein sëlp sô hëlphantes bein.“
Otfrid I. 1, 15. 16.

Jam pridem a viris doctissimis, quorum auctoritas in his rebus gravis habenda est, Hertzbergio Meinekio, ut alios omittam de quibus infra pluribus enarrabitur, observatum est quanta elegantia et venustate in substantivis cum attributis suis componendis usi essent poetae elegiaci Augusto imperatori aequales, non dubitandum esse, quin horum arte elegiaca vel Graeci superati sint. Sed tantum abest, ut certis et strenua observatione stabilitis documentis in hac arte lepidissima recte aestimanda nitamur, ut usque ad hoc tempus nemo huic rei ad liquidum perducendae operam debitam dederit ex quo Wackernagelius pauca, quae ad hanc quaestionem spectant, libello suo praemisit, quem Zur Geschichte des deutschen Hexameters Berl. 1831 composuit. Sed his observatiunculis studiis philologicis, qualia nostro tempore vigent, minime satisfieri, quivis harum rerum existimator concedet, cum eo libello non modo parum certi ad nostram quaestionem illustrandam allatum sit, sed etiam obscurata et impedita utpote obiter tantum perstricta praebeantur. Aliquanto etiam minus rem Gruppius promovit, cui nihil me debere cum Hertzbergio ed. Prop. I. p. 259 palam profiteri non dubito. Nec postea quidquam quod memoratu dignum elaboratum est, neque Luc. Müllerus in libro suo de re metrica ceterum omni laude dignissimo distichi legibus enucleandis diligentiam ac curam navavit, quam in ceteris sui operis partibus collocavit plurimam. Quae de tota nostra quaestione scripsit in p. 241. leguntur: Haud absurdum cognitu est poetas adiectiva substantivis suis prae-

poni amare, quod si secus fieret, nulli iam rei adiectiva nisi explendo metro viderentur esse utilia. Quibus cognitis iam duces me habere nullos apparet; pauca quae Wackernagelius divinandi potius sagacitate quam observationibus saepe taediosis adiutus recte exposuit, suo quaeque loco cognoscemus. Nunc quidem iam nihil impedit, quo minus ad primam partem transeamus[7]).

Caput primum.

De hexametris elegiacis, in quibus bina substantiva cum singulis attributis conectuntur.

In libro illo Gruppii (Die römische Elegie I. p. 20.) iam recte dictum est, in hexametro elegiaco, cui duo substantiva insunt, neutrum solere attributo carere, et cum ars elegiacorum his versibus luculentissime probetur meritissimo hanc partem quaestionum elegiacarum specimen esse volui. Ac primum quidem de formis in universum disputandum est, quae quidem duorum substantivorum et attributorum compositione evadunt, quibus deinceps enarratis et exemplis illustratis de usu omnium fusius disseram, quo facto quae de causis ac ratione erui fore spero ut ab omnibus libenter concedantur. Breviloquentiae causa substantiva et attributa litteris significabo ita, ut primum substantivum litt. a), attributum suum litt. b), alterum substantivum α), attributum suum β), consignetur; linea caesurae locum indicat. Ergo ut res exemplo ad liquidum perducatur Ov. am. I. 14,12 Ardua derepto cortice cedrus habet figura nostra b β | α a continetur. Qua venia concessa iam schemata figurarum, quae quattuor his membris ut ita dicam inter se conexis formantur, hoc modo exponam:

---

[7]) Editiones in versibus laudandis praesto erant: Tibulli et Propertii Hauptiana tertium 1868 recognita Ovidii carm: amat. ex recensione Luc. Muelleri, ex Pont. epist. ab O. Kornio editae, cetera Ovidii carmina ex Merkelii regonitione.

A. Substantivis attributa praeponuntur, caesura medium tenente.

a. ordine parallelo b β | a α = Tristia cum multo pocula felle bibat.

b. ordine contrario b β | α a = Aequoreasque suo sidere turbat aquas.

B. Substantivis attributa postponuntur.

a. ord. par. a α | b β = Brachia nunc humeris umida ferre meis.

b. ord. contr. a α | β b = Fortunam vultu fassa tegendo suam.

C. Alterum attributum praecedit, alterum postponitur substantivo suo, caesura ut antea medium tenente.

a. ord. parall. I. b α | a β = Itala portentis nec fluit unda novis.

II. a β | b α = Cera tuae primum conscia mentis eat.

b. ordine contr. I. b α | β a = Pluraque cum linguis pluribus ora forent.

II. a β | α b = Officium tota noctevalere meum.

Habes octo genera omnia, quae duobus substantivis et attributis formari possunt, si duo membra in utroque hemistichio insunt.

Nescio num quis desideret, ut dicatur de formis, quae inter substantivum et attributum suum alterum vel substantivum vel attributum immitti non patiuntur; cuius generis figurae b a | β α a b | α β alia huc spetant. Sed sponte intelligitur, hoc genus a proposito nostro abhorrere, quia de artificiosa hexametri elegiaci structura hoc capite disputatur; quocirca simplicissimas illas species ab artificibus versuum elegantissimis haud ita frequenter captari monuisse hoc loco sufficiat, et in viam unde aberravit oratio redeamus.

Etenim octo figuris descriptis, quae caesura versus et ipsae dividuntur in duas partes aequales, sequitur, ut de alio genere dicendum sit, in quo nonnisi alterum vel attributum vel substantivum priori hemistichio tribuitur ceteris tribus vocibus de quibus quaeritur alter versus ordo impletur. Tali modo quae fiunt figurae hae sunt:

D. Attributum caesurae praemittitur. Quattuor genera.

a. ord. parall. I. Alterum attributum post caesuram substantivis praeponitur: b | β a α = Stabat in exiguo ligneus aede deus.

II. Alterum attributum substantiva sequitur: b | α a β = Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

b. ord. contr. I. Alterum attributum substantiva praecedit: b | β α a = Ultores rapiant turpe cadaver equi.

II. Alterum attributum inter substantiva immittitur b | α β a = Stetque peregrinis arbor operta comis.

E. Substantivum caesurae praemittitur. Item quattuor genera.

a. ord. parall. I. Substantivo altero series vocum clauditur: a | β b α = Flammaque non fiat frigidus illa cinis.

II. Substantivum alterum attributis praeponitur: a | α b β = Eloquar infelix dedecus ipsa meum.

b. ord. contr. I. Alterum substantivum attributis includitur: a | β α b = Ante oculos veniet vera puella tuos.

II. Alterum substantivum attributis anteponitur: a | α β b = Separor a domina nocte iubente mea.

Restat, ut tertium genus illustremus, quod quasi ex altera parte generi modo enarrato respondet, cum alterum tantum vel substantivum vel attributum posteriori hemistichio tribuatur, ceteris tribus vocibus in priori positis, cuius octo suppetunt species.

F. Substantivum in posteriori extat hemistichio.

a. ord. parall. I. Alterum substantivum incipit vocum ordinem a β b | α = Ungue meam morso saepe querere fidem.

II. Alterum substantivum attributis duobus postponitur: b β a | α = Lassus in hac iuvenis saepe resedit humo.

b. ord. contr. I. Alterum substantivum inter attributa collocatur b α β | a = Et tua dente fero viscera carpat equus.

II. Alterum substantivum attributa sequitur b β α | a = Ista decem menses non peperere bona.

G. Attributum in posteriori hemistichio occupat sedem.

a. ord. parall. I. Altero attributo ordo incipitur b α a | β = Huic victor victo nempe pudendus eras.

II. Alterum attributum substantiva sequitur: a α b | β = Qui stipe mel sumpta dulcius esse putas.

b. ord. contr. I. Alterum attributum inter substantiva inseritur a β α | b = Parsque meae poenae totius instar erit.

II. Alterum attributum substantivis postponitur: a α β | b = At pretium pars haec corpore maius habet. Atque haec quidem hactenus. Quas omnes figuras ad versus pangendos a poetis usurpatos esse iam inde consequitur, quod unamquamque exemplis ex ipsa horum poetarum lectione petitis adumbravimus. Quare de his omnibus paullo post uberius disputandum erit. Sed praeter eas, quas supra removi figuras ex finibus disputationis nostrae alias superesse quis est quem fugiat? Fieri enim potest, ut duo et substantiva et attributa in altero hemistichio coacerventur, alteri nihil nisi verbum particulae alia relinquatur.

Sed vide ne tale genus recte vitaverint poetae sensu pulchri praeter ceteros commendati, cum equidem, quod sciam, excepto Ov. fa. I. 290: Sacravere patres hac duo templa die, hexametrum elegiacum ad istius generis schema factum me legisse non meminerim. Quod cum ita sit totum hoc genus silentio praetereamus[8]). De ratione ista, qua in aspernandis his versibus usi sunt, infra pluribus disserere in animo habeo. Ergo schematibus ordine ac ratione cognitis, ad quorum normam versus omnes, de quibus quaerimus, conditi sunt, iam videamus quanta cum iudicii sobrietate et nativa venustate tum legum severitate in singulis adhibendis sese praestiterint poetae elegiaci, quorum norma apud omnes, qui postea ἐλεγεῖα scripserunt, plurimum valuit.

Etenim cum quarta fere pars, ut in principio dictum est, Tibulli Propertii Ovidii huc referenda sit — Tibulli enim I—IV. DCCCLV., Propertii MMIV., Ovidii CCIↃↃDCCCXXV. hexametri elegiaci extant, ex quibus MMMCLXXXIIII ad hoc quaestionum nostrarum caput spectant, Ovidii sunt MMCCCCLXXVIII., Propertii DXXVII. Tibulli CLXXV — neque

---

[8]) Hexametrum heroicum huc pertinentem Ovidii appono ars am: II. 3 Laetus amans donat viridi tua carmina palma.

ab omnibus formae omnes neque omni tempore sed electione severissima adhibita in usum receptae sunt ita ut facile iudices, hos poetas quid leges artis suae exigerent penitus habuisse perspectum. Sed age iam ordine supra proposito deinceps formas perlustremus, in quarum enumeratione si quid a me praetermissum est, certe non negligentiae tribuatur, errori nemo non obnoxius praesertim in re saepe taediosa et summa cura elaboranda.

Ac primum quidem ad eam figuram (b β | a α, v. tab. Nr. 2.) progrediamur necesse est, quae ceteris posthabitis a Wackernagelio et Gruppio quasi regula et norma tractatur, quippe qui non accurata observatione sed praeiudicatis opinionibus nitantur. Referatur enim sane principium ad illam hexametri elegiaci formam, quae duobus attributis in priori hemistichio retentis, substantivis in altero postpositis, parallelismo quod dicitur membrorum optime convenit, modo ne nullo discrimine admisso ad absolutum, quem dicunt philosophi, statum res metricae quoque revocentur, quo nihil perversius esse potest. Itaque factum est, ut maxime Gruppium prorsus fugerit duas adesse species figurarum b | β α a (Ultores rapiant turpe cadaver equi) et b | α β a, (Ludat et ante tuos turba novella pedes), quas eodem quin etiam saepe frequentiori usu sibi ascivisse poetas mox videbimus.

Rationem certam in hac quoque re observanda secutos esse poetas, quibus legum peritia summa erat laus, quis est qui neget, sed quot artifices tot ingenia esse merito autumamus.

Jam his praemissis sine molimine philosopho rem consideremus.

Tabella in fine huius dissertationis composita satis cautum est, ne oratio nimia exilitate ac siccitate arescat, quo remedio simul optime perspicuitatis studio satisfit, in quam lectorem ablegamus, si quid de numeris uniuscuiusque figurae computatis scire volet. Hic de ratione et usu, qualis poetis et carminibus intercedat dicendum est.

Extat quidem, ut iam ad primam figuram (b β | a α) revertamur, de versibus ad hoc schema compositis iudicium Brouckhusii ad Tib. II. 6,22. notatum, quod absurdum et ridi-

culum esse nemo primo obtutu non intelligit. Animadvertit enim hic vir doctissimus singulare quoddam artificium Tibulli, quod apud alium poetam reperies neminem, in priore hemistichio duo epitheta collocari, in posteriori bina subjecta, quod iam Wackernagelius l. c. p. XI. sq. his verbis reiecit: Auch die andern Dichter haben genug der Art, man kann es Tibull kaum vorzugsweise zugestehen. Sed scire cupimus non opinari. Ante omnia duo genera huius figurae, ut a nobis supra factum est discernamus necesse est, alterum quod parallelismum servat b β | a α (tristia cum multo pocula felle bibat) et alterum χιαστί positum b β | α a (ardua derepto cortice cedrus habet) illum ab omnibus magnopere expetitum, hunc usu satis modico frequentatum. Nam cum in carminibus, quae Tibulli nomine continentur, vicesima quinta fere pars omnium hexametrorum elegiacorum, quinta eorum, qui huc spectant ad normam prioris schematis confecta sit, alterius b β | α a figurae ne quinquagesima quidem omnium pars, decima duobus substantivis et attributis constructorum versuum legitur. Neque apud Propertium et Ovidium secus est, quorum uterque et ipse quintum quemque versum, de quibus quaerimus ad schema b β | a α, decimam ad b β | α a formavit. Ecce quam severa et mirabilis consensio, quam etiam in ceteris suppeditare suo tempore videbimus. At in singulis libris discrimina intercedere consentaneum est. Quattuor Tibullianorum carminum libri lenissimo discrimine distant, cum figurae parallelo ordine insignis usus non plus vicesimam, non minus tricesimam hexametrorum elegiacorum partem conficiat, figurae per chiasmum compositae numerus a primo usque ad quartum librum pari modo a quinquagesima versuum parte usque ad nonagesimam decurrat, quod ipsum levis momenti est, cum pluribus exemplis nonnisi in primo libro haec forma frequentetur. Appono exempla omnia: I. 1,6. 2,86. 3,76. 4,12. 5,4. 7,34. 8,16. 9,68. II. 1,6. 40. 3,72. 4,28. III. 3,18. 4,36. 78. IV. 11,6. Propertii autem libros arte multum inter se distare cum his figuris tum iis luculenter probatur, quas b β α a (Ultores rapiant turpe cadaver equi) et b | α β a (Ludat et ante

tuos turba novella pedes) formulis significavi, de quibus postea exponetur.

Atque in primo quidem libro, quem seorsim satis longo a ceteris intervallo editum esse omnes consentiunt, quare recte a codicum scriptoribus monobiblos inscriptus extat, prima illa figura (b β | a α) omnium est usitatissima ita ut longo proxima intervallo illa sequatur, quae a β | b α (Cera tuae primum conscia mentis eat; v. tab. Nr. 4.) litteris consignata est.

Alteram paene partem versus ad b β | a α (immitis saevo duxerat arte faber tab. Nr. 2) sextam fere ad b β | α a (aequoreasque suo sidere tingit aquas, tab. Nr. 9) compositi sibi vindicaverunt. In priori illa forma usurpanda lib. II.—IV. non eadem florent exemplorum multitudine ac liber primus, sed inter se paene eadem copia coniuncti sunt, cum vicesimus tertius quisque versus tali modo constructus oculis se praebeat, liber quintus maiori viget numero, ut ad primi libri normam propius accedat. Alterius vero figurae usus (b β | α a) in tribus prioribus libris frequentissimus exhibetur, — vindicat sibi in I. tricesimam quintam, in II. vicesimam quintam, in II. vicesimam alteram, in III. undetricesimam partem —, in quarto et quinto valde imminutus est (I. 2,2. 3,4. 8,22. 13,22. 16,22. 17,4. 20. 18,18. 32. 20,24. II. 1,72. 3,24. 4,16. 6,16. 7,14. 20. 8,39. 9,50. III. 13,34. 36. 14,26. 15,34. 16,8. 44. 17,8, 22,8. 10. 12. 26,6. 27. 16. 28,20. 24. 38. 30,38. 34,56. IV. 1,8. 8,28. 7,24. 8. 8,6. 10,14. 11,22. 14,12. 21,2. V. 1,46. 4,14. 5,30. 72. 9,28. 36. 58. 11,24. 40. 88.) horum enim quinquagesimus quintus et quadragesimus septimus quisque hexameter ad istud schema conditus est. Apud Ovidium summa aequabilitas, ut si tricesimam circiter partem priori quinquagesimam versuum qui extant alteri formae attribueris non procul a vero aberraveris[9]). Nam magnopere cavendum est, ne singulis exemplis nimis ponderatis unius alteriusve exempli fallaci specie permoti temere de usu forma-

[9]) Amor. I., 6,66. de industria a me omissum esse moneo cum totum distichon frigidum atque insulsum merito ut ab Ovidio alienum uncis inclusert auctore Hampkio Lucianus Müllerus: Philolog. XI., p. 77.

rum iudicemus. Sed de Heroidum epistulis quae ad hunc locum memoratu digna pertinent breviter colligere placet.

Equidem non dubito, quin nemini ignotum sit in quam diversas partes a viris doctissimis de his carminibus iudicatum sit, praesertim ex quo Lachmannus dissertatiuncula Berolinensi (Prooemium ind. lect. Ber. 1848) auctoritatem plurimorum in dubitationem vocavit. Maur. Hauptius, qui antea[10]) nonnisi ep. XVI.—XXI. ab Ovidio abiudicaverat, signis mutatis pedibus in sententiam magistri ivit[11]). At alii alias epistulas decerpserunt, velut Luc. Müllerus metr. p. 46. nullas esse spurias nisi 14—17. 19. censuit, qui et ipse sicut Merkelius Lachmanni observationes pluribus ex partibus claudicare demonstravit. Exstitit deinde scitus harum rerum existimator Lehrsius, qui 1863 dissertatione supra citata aliquot epistulis argumentis imprimis, quae vocantur, aestheticis perstrictis, de quarum fide omnes consenserant, 1864 (in Fleckeiseni annalibus p. 173) palam pronuntiavit: „Unter den Heroiden gehört keine einzige dem Ovid, sie kommen von verschiedenen Nachahmern und sind noch einmal weiter gearbeitet von Händen, die ganze Stücke interpolirten.“ Quamquam enim, id quod L. Müllerus (Mus. rhenan. XVIII. p. 87.) scite edixit, difficillimum est rationibus nisum solis aestheticis de his Epistulis Ovidio abiudicandis servandis decertare, metricis tamen observationibus[12]) per se non satis validis confirmatur epistulas illas non accedere ad curam et elegantiam carminum Ovidii a quibus temporis proximo intervallo absint necesse est. Quodsi ne ita quidem res ad liquidum perduci potest, ut omni dubitatione liberemur,

---

[10]) Observat criticae p. 23. posteriores sex epistulas non certo esse Ovidii p. 23. quae minus certo iudicio eidem poetae attribuuntur.

[11]) Ovids Metamorphosen erkl. v. Mor. Haupt 1. Einl. p. 5: In unserer jetzigen Sammlung sind nur 8 Briefe mit Sicherheit dem Ovid zuzuschreiben (1. 2. 4—7. 10. 11.), die meisten übrigen sind seiner unwürdig oder weichen im Einzelnen von den Gesetzen ab, die seine Kunst streng befolgte.

[12]) Nonnulla Lehrsius optime notavit velut l. c. p. CCXXXVII sq. de usu vocularum monosyllabarum alia.

tamen suspicionem nostro labore augeri posse speramus, ut tandem aliquando prava superstitio de carminum horum elegantia et praestantia deleatur, quae inde a Scaligeri aetate ad nostra usque tempora defluxit, cum novissime modo Bährius[13]) vix credibile iudicium emiserit: „Man kann diese Dichtungen zu den gelungensten Dichtungen Ovids zälen . . . ausser der lebendigen Darstellung der Leichtigkeit und Gewandheit des Vortrags . . . ist der Versbau bei strenger Beobachtung der metrischen Gesetze vorzüglich zu nennen etc." (p. 787): „Es erscheinen die sämmtlichen noch vorhandenen 21 Heroiden als von Ovid geschrieben[14])".

Sed iam via instituta incedamus. In universum quidem fig. bβ | aα (tristia cum multo pocula felle bibat, v. tab. nr. 2) usum imprimis ab Ovidio quoque frequentatum, in Epistulis aequari libenter largior, sed non indignum videtur esse observatu, omnes ep. III. XII. XX. versus sic esse conditos, ut hac figura una omnium maxime in usum adhibita prorsus carerent auctores, de ep. XII. infra pluribus disputandum erit, quia praeter ceteras ab usitata elegantia abhorret. Ac priores quidem epistulae, quae versuum nitore longe ceteras superant, hexametris elegiacis ad huius figurae normam valde amatam constructis abundant ut puta Phyllis (II) in qua ex undeviginti versibus binis substantivis et attributis factis sex huc referendi sunt, Phädra (IV.), Hermione (VIII.) Penelopa (I.) Canace (XI.), quarum omnium duodecima fere pars omnibus versibus computatis ad quaestionem nostram pertinet. Multo inferior numerus est Ariadnae, Hypermnestrae, Sapphus, Paridis, Helenae, Leandri, quarum utraque binis exemplis praedita est. Alterius vero figurae usum b β | α a multo restrictum esse non mirum est, qua. I. II. VI. VII. VIII. XVI. XXI. prorsus carent, ceterae semel et bis exceptionum instar usae sunt exceptis V. XV. XII. quarum illae ter, haec quater versus istius formae admiserunt. In duodecima iure nostro haerere nobis videmur, quae cum

---

[13]) Geschichte der römischen Literatur 1. 1868. p. 788.

[14]) Cum Meinekio (ad Hor. II. 11.) exclamo: Vide quam diversa sint hominum palata!

nullum versum optimae formae praebeat, minus vulgatam supra modum usurpat.

Ac de his quidem hexametrorum elegiacorum formis satis dictum, quas verborum collocatione simillimas tamen usu prorsus distare vidimus, altera dimidio ipso inferiore, quod ne temere fieri putes summopere cavendum est, sed de hac re infra copiose disputabitur [15]). Nunc ad reliquas huius generis formas pergamus, quae substantiva attributis praemittunt caesura ab his divisa: (v. tab. Nr. 8. 14.) a α | b β. a α | β b. Verum tamen quantum intersit inter illorum schematum et horum versuum usum statim apparebit. Quo enim quisque severior fuit et elegantior in distichis pangendis, eo magis formis illis abstinuit. Itaque factum est, ut Tibullus, qui, qua splendet simplicitate, ex viginti quattuor vel quinque versuum formis a poetis elegiacis usurpatis nonnisi decem in usum suum convertit, ad istius modi schematum species versum condere omnino noluerit, Propertius priorem quidem formam inde a libro secundo non plus octiens admiserit: II. 1,52. (Pocula privigno non nocitura suo) 3,10. III. 12,10. 32,12. V. 1,60. 6,24. 5,66. 11,82. alteram a α | β b prorsus et ipse excluserit. Plus sibi indulsit ut erat ingenio lascivior Ovidius. Qui cum praeter am. I. 12,28: Auspicii numerus non erat ipse boni, II. 5,32: In bona cur quisquam tertius ista venit vix huc adnumerandum in carminibus amatoriis ad figuram a α | β b versum formaverit nullum, etiam postea non plus undeciens versus ad illius normam conditos admisit: fast I. 584. V. 356. 576. tr. II. 288. III. 1,72. 2,18. V. 1,6. Ib. 122. 404. ex Pont. III. 9,30. IV. 8,38. Quantillum hoc est in tot milibus!

---

[15]) Placet paucis monere, Meinekium ad Hor. carm. IV. 1,16. (praef. p. XIX.) coniecisse scribendum esse hunc versum Late militiae signa feret tuae pro L. signa feret militiae tuae; male Peerlcampium I. 33,13. emendasse ipsum me peteret cum melior Venus pro ips. m. melior cum peteret Venus. „Sequuntur enim versus Asclepiadei easdem leges, quas in pentametro poetas secutos esse dudum intellectum est", et confert I. 1. atavis-regibus, praesidium-dulce decus meum etc. Non dubito quin recte coniecerit vir sagacissimus.

Superest, ut alterius a α | b β (v. tab. Nr. 8. nec facies oculos iam capit ista meos) formae exempla ex Ovidii libris deprompta in conspectum adducam, quae latissime in carminibus post fugam compositis patere non mirum est, ipse enim quanta limae incuria confecta sint identidem confitetur.

Sunt haec quod sciam omnia: am. I. 10,10. II. 17,12. III. 1,48. 7,24. 42. 9,68. ars. I. 98. II. 502. III. 486. 516. rem. 248. 736. fast. I. 190. II. 56. 298. 220. 440. 860. IV. 862. V. 678. VI. 98. 158. 174. 376. Ib. 40. trist. I. 5,6. 9,48. II. 14,58. III. 4,68. 6,22. 8,34. 10,40. IV. 4,68. 6,22. 8,34. 10,40. V. 1,48. 5,38. 10,46. 11,16. 14,4. ex Pont. I. 8,2. 34. 9,12. 10,28. II. 2,50. 8,38. 10,22. III. 4,110. 7,6. IV. 9,72. 15,14. Quanto laxior Ovidius Propertio Tibullo, et ipse quanto sibi plura tristi exsilii tempore quam vita integra indulserit his luculentissime demonstratur, ut verbum addere pigeat. De Heroidibus pauca adicienda sunt, ex quibus duos erui versus ad priorem illam formam pertinentes IX. 126: Fortunam vultu fassa tegendo suam, quae epistula Lehrsii sententia[16]) in der Sammlung eine der widerwärtigsten, est, eine schwer geladne, jedes Hauches von Grazie, jeder wirklichen Leidenschaft entbehrende Abkanzlung, et XVII. 252 a verbis facies dissidet ista meis. Si quae extant Heroides illae sunt, quas se scripsisse poeta Am. II. 18,21. ff. ars 345. 46. aliis ignotum genus testatur, primus ille iam quasi in prolusione poëtica versum incultum et horridum velut IX. 126 antea inauditum in lucem emisit, ad alterius formae imaginem Propertio quidem iam cognitae cum in quattuordecim epistulis versum fecisset nullum, decimae quinque, sextae decimae quattuor panxit hexametros elegiacos.

Quod ne quis mihi persuadeat. Immo vero arte pubescente severissima exemplorum aemulatione et cautione Ovidium genuinas composuisse epistulas probabile est. Sed procul absit suspicio me talibus argumentis nisum ad fidem omnium epistularum, quae ad nos pervenerunt, convellendam caecum et praecipitem ferri; equidem his signis motus nil nisi interpola-

[16]) l. c. p. CCXLIX.

tionibus in haec carmina saevitum esse meo iure contendo. Alia hic illic adiciam. — Nunc vero restat, ut locos versuum alterius formae (a verbis facies dissidet ista meis) adscribam: 6,78. 122. 7,138. 10,28. 38. 114. 130. 140. 15,22. 16,34. 162. 182. 234. 19,60. —

Ac de hac prima parte hexametrorum elegiacorum satis dictum esse opinor. Sequitur genus formarum, quod littera C consignavimus, quarum membra et ipsa caesura aequabiliter dividuntur ordine prorsus turbato, cum neutrum hemistichium nec substantivo nec attributo careat. Ex quattuor formis huc referendis unam tantum a β ¦ b α (v. tab. Nr. 4. Sacra bonae maribus non adeunda deae) latius patere voluerunt poetae elegiaci, ceteras tam raro usurpaverunt, ut nonnisi metri vel verborum necessitate coacti vel novandi studio permoti ad illas confugisse putandi sunt. Atque illa quidem omnium frequentissima a Tibullo non plus noviens expetita est, sexiens in primo libro 6,22. 7,2. 54. 8,14. 64. 9,52. semel in alterius initio II. 1,2. nec plus in Lygdami quae vocantur elegiis quam in duobus versibus 4,50. 5,2. In quarti libri carminibus omnium politissimis et huius et ceterarum trium formarum, quas hoc loco adiunxi, frustra quaesiveris versum. Nec in ceteris libris versus ad schemata (v. tab. Nr. 12. 13.) a β | α b, b α | β a factos praeter I. 7,42: 'Crura licet dura compede pulsa sonent III. 4,30: et color in niveo corpore purpureus; II. 2,4: quos tener e terra divite mittit Arabs' alium reperi. Formae bα | aβ versus nec vola nec vestigium apparet.

Iam ea quae ex accuratissima Propertii observatione redundaverunt hunc fere in modum concipienda sunt: fig. a β | b α tab. Nr. 4. campum satis latum libri primi et quinti tenere passus est, nam in illo tertius decimus in hoc vicesimus octavus quisque versus illius norma tenetur. Haud perinde in ceteris factum est, cum in secundo libro quadragesimus quartus, in quarto quadragesimus nonus, in tertio centesimus quisque illam normam sequatur. Ad tria quae restant exempla paucissimos fecit versus, ut in universum a Tibullo non procul distet. Exempla appono quae habet omnia.

Ac primum quidem figurae (tab. Nr. 12.) a β α b: II.

4,22. (altera vix ipso sanguine mollis erit) 5,6. 6,34. III. 12,12. 22,24. IV. 11,40. V. 5,36. Sequuntur figurae b α ¦ β a: II. 5,12. (nec dubio nubes vertitur atra noto) III. 14,8. 28,30. IV. 5,38. 7,50. 13,32. 16,8. 21,4. V. 5,62. 9,66. 11,14. Denique figurae b α | a β quam Propertius primus in usum introduxit: I. 11,4. (Proxima Misenis aequora nobilibus) 18,10. III. 15,46. IV. 2,4. 17,34. 22,28. V. 1,44. 4,60. 11,28. 50. Jam ad Ovidium perlustrandum transvolare gestit oratio. Cuius inter libros si quae ratio in figura a β ¦ b α usurpanda intercedat deinceps explanare in animo esset, vereor ne iure nimis molestus viderer, quare memorasse sufficiat neque in carminibus amatoriis neque in iis, quos minore cura confecit, neque in Heroidum epistulis a modico huius figurae usu in universum recessisse poetam, ita ut ad Propertii secundi et quarti libri usum proxime accedat. Maiore copia abundant ex Ponto epistularum liber primus, in quo haec figura tertium sibi locum vindicavit, fastorum liber quintus et tristium quintus, ubi primum locum optinuit, in Her. decima et tertia decima secundum amplexa. Amatoria carmina aequali usu ut paene semper coniunguntur. Rarissima exempla fast IV. et VI. praebent, carent exemplis: Her. I. V. XXI. Nihil supra addo, tres aliae formae in discrimen vocandae sunt, ex quibus cum eam, quam a β ¦ α b significavimus in amoribus, tentare noluisset, nec illa nec duabus aliis, de quibus nunc quaerimus, ceterum abstinuit ea tamen condicione, ut vix paullo liberius iis Propertio uteretur, rarissime nec nisi in libris inferioris notae tertio versui ad istiusmodi figurae legem facto alium adderet. Quae cum ita sint, tribus formis b β | a α (tab. Nr. 2. plena verecundi culpa pudoris erat), b β | α a (Nr. 9. immitis saevo duxerat arte faber) a β ¦ b α (Nr. 4. cera tuae primum conscia mentis eat) exceptis ceteras omnes, in quibus bina membra utrique hemistichio attribuuntur i. e. omnes, quas adhuc in iudicium attuli non modo non probatas fuisse poetis elegiacis sed potius neglectas iacuisse nemo non intelligit. Itaque cum quae exceptionum instar habenda sunt in conspectum omnia adducere constituerim, hexametros elegiacos ab Ovidio ad ista tria schemata conditos proferam: ad a β ¦ α b: ars I. 12. (tab. Nr. 12. atque animos placida contudit

arte feros) 226. 250. 268. II. 618. III. 104. 656. rem. 28. 326. 814. med. 990; inde a fast. libris iam multo laxior versatus est, utpote qui infelici sorte pressus a limae studio revocaretur nec non rerum mole impediretur.[17]) Unum et viginti versus excussos appono: I. 318. 534. II. 10. 282. 690. 698. III. 264. 390. 600. 712. 794. IV. 42. 148. 592. V. 164. 482. 506. 558. 718. VI. 262. 744. Ib. 286. trist. I. 1,10. 2,28. II. 34. 144. 162. 242. 358. III. 2,24. 4,42. 7,34. 9,20. 10,20. 40. 46. 13,28. IV. 1,64. 6,34. V. 2,50. ex Pont. I. 1,30. 2,104. 5,52. II. 2,78. 5,58. 6,20. 9,32. 11,14. III. 2,28. 3,70. 4,2. IV. 7,34. 10,46. — Her. 1,50. 52. 4,32. 8,58. 9,40. 13,72. 15,18. 18,78. 20,98. Ad b α | β a pertinent am. II. 5,62. (nescio quis pretium grande magister habet) ars II. 52. 214. 394. III. 392. 766. med. 88. fa. I. 462. III. 640. V. 548. VI. 326. 346. trist. I 5,14. 54. 8, 38. IV. 4,16. 38. 10,102, V. 2,36. 14,24. ex Pont. II. 3,36. III. 1,104. IV. 2,50. Accedunt Her. 9,116. 12,196. 14,34. 17,226. Restat ut eos apponam, qui b α | a β schematis normam sequuntur. Atque hi quidem numero duos superiores longe superant cum non minus quinquaginta exempla viginti ex Heroidibus accedentibus mihi in promptu sint: am. I. 4,50 (Conscia de tergo pallia deme tuo). 7,44. II. 3,8. 11,34. III. 6,6. 7,58. 15.16. ars II. 326. 686. III. 12. 272. rem. 54. 312. 348. 676. 380. fa. I. 96. 258. II. 522. 856. III. 516. IV. 910. VI. 38. 94. 720. 752. 796. trist. I. 5,10. 6,24. II. 134. 138. III. 5,6. 12,6. 13,2. IV. 9,12. 10,48. V. 2,44. Ib. 140. 312. 606. ex Pont. II. 3,4. 8,24. 74. III. 6,54. IV. 10,24. 14,2. 16,30. 7,6. 48. 14,36. Her. 2. 56,68. 4,120. 132. 5,92. 7,68. 8,8. 9,8. 10,58. 11,122. 12,154. 13,116. 152. 14,66. 15,138. 150. 16,20. 38. 340. 21,10. Alia non memini. Nec fieri potest, quin magnus horum versuum numerus, quos ex Heroidibus eruimus, oculos in se convertat, cum ne dimidia quidem pars pari versuum numero perlustrato in carminibus amatoriis ocurrat, quae sola cum illis comparari possunt. —

[17]) Miro iudicio Bährius l. c. p. 509 dicit „in dem Exil konnte er nur noch das erste Buch revidiren." Ergo IV. 81—84 signa extare huius quoque libri retractati ignorat vir doctissimus?

Quibus iam ad finem perductis, venio nunc ad aliud hexametrorum elegiacorum, de quibus quaestio instituenda est, genus quod supra in catalogo formarum litteris D et E notavi. Caesura post primum figurarum huc spectantium membrum posita ordo plane mutatur, ita ut octo figurae evadant et specie et usu prorsus ab illis octo de quibus actum est diversae. Incipiendum est, ut ordinem supra constitutum servem ab iis, quae attributum caesurae praemittunt. Verum enim vero quam similes specie ita usu toto coelo, ut aiunt, dissimiles sunt. Priores enim duas b | β a α (tab. Nr. 10. quos male habet multa callidus arte puer) b | α a β (Nr. 11. accipe quae serves funeris acta mei) omnium maxime vitabant poetae, alteras b | β α a b | α β a (tab. Nr. 1. 3.) tam libenter amplectebantur, ut omnibus praeferrent. ‚Nec ex difficili causa petita subest cur‘ hoc factum sit, quod mox probabitur, nunc tantummodo de usu dicendum est. Ac prima quidem figura iam Tibullo nota et probata, in libris I—III. noviens usurpata est I. 4,76. 6,14. 32. 10,20. 5,46. II. 1,62. 3,6. III. 4,2. 38: multa callidus arte puer, impresso mutua dente Venus, tota cui tua nocte canis, in exigua ligneus aede deus, frenato caerula pisce Thetis, tergo lucida vellus ovis, valido pingue bidente solum, hesterna pessima nocte quies, laeva garrula parte lyra. Alteram b | α a β ne semel quidem admisit. Illam enim iam Catullo[18]) notam fuisse, 68,110 docet: siccare emulsa pingue

[18]) Non alienum videtur esse a proposito nostro de Catulli hexamerorum eleg. formis pauca submittere. Etenim perspicue inde intelligitur nexum illum artificiosum substantivorum et attributorum non modo non temere et sine ratione firma expetitum esse, sed potius arte demum corroborata frequentissime variis modis lege restrictis lepide et eleganter adhibitum esse non ante Tibulli tempus. Catullus enim varia tentavit sed rarissime et sine ratione. Cum enim Tibullus quintam partem hexametrorum eleg. binis confecerit substantivis singulis attributis instructis, Catullus undecimam circiter partem tantummodo sic condidit, quamquam totidem et paene iisdem formis atque ille usus est. Sunt enim hae: 1. b | β α a = 67,6 postquam es porrecto facta marita sene. 68,140. 99,10. — 2. b β | a α = 65,12 semper maesta tua carmina morte canam 66,58. 68,62. 80. 136. 146. 80,6. — 3. b | α β a = 68,100 detinet ex-

palude solum, ad cuius exemplum Tib. II. 3,6: ‚Versarem valido pingue bidente solum' factum esse haud scio an recte contendam. Alteram formam b | *α* a *β* etiam Catullo ignotam esse vidi, quam et ipsam Propertius primus in usum suum convertit I. 1,38: heu referet quanto verba dolore mea, deinde III. 13,618: accipe quae serves funeris acta mei. IV. 13,8: cinnamon et multi pastor odoris Arabs. Quae ego quidem reppererim exempla apud Propertium, omnia apposui.

Neque Ovidius hanc cautionem laedere conatus est, nisi quod in carminibus, quae in exilio scripsit, frena licentiae in hac quoque figura admittenda paullulum laxavit. Unum exemplum in amoribus extat II. 6,38. Psittacus extremo munus ab orbe datum, in arte tria II. 208: Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus 574: Cognita Volcano coniugis acta suae 740: Cantetur toto nomen in orbe meum. Accedunt fast. IV. 944: Sustulit immenso ter iubar orbe suum VI. 708: Caesa recesserunt a cute membra sua. Ib. 640: Multiplicentque suo vota favore mea. trist. II. 318: Vexata est iterum carmine Troia meo. 340: Et falso movi pectus amore meum. III. 3,20: Ut foret amenti nomen in orbe tuum. 8,10: Caraque praecipue coniugis ora meae. ex Pont. I. 3,28: Sumptaque sunt nobis pectoris arma tui. II. 9,76: Ut lateat sola culpa sub arte mea. III. 1,54 Magna Philoctetae vulnere fama suo est. 8,14: Nulla premunt ramos pondere poma suo. IV. 7,54: Sunt tua, Vestalis, carmine facta meo. — Quam similes sint Ov. ab orbe datum nomen in orbe meum nomen in orbe tuum iubar orbe suum et Prop. funeris acta mei Ov. coniugis acta suae, non est quod moneam. Sunt etiam cetera quae malo integra reservare ad alterum huius

---

tremo terra aliena solo, 80,8. — 4. a *β* | b *α* 67,32. Brixia Chineae supposita speculae (versus corruptus), 68,54. 81,4. 99,2. 14. — 5. a | *α* *β* b 67,34. Brixia Veronae mater amata meae. — 6. b *α* | a *β* 68,148 = quem lapide illa diem candidiore notat. — 7. b *β* | *α* a 67,48. falsum mendaci ventre puerperium. 68,44. 142. 144. 66,62. 76,18. — 8. b | *β* a *α* 68,110. siccare emulsa pingue palude solum. 65,24. — 9. b *α* | *β* a 68,16 iucundum cum aetas florida ver ageret. Plurima exempla in carminibus longioris ambitus inesse vix est quod moneam, epigrammatum versuum formae minus eum studuisse probabile est.

dissertationis caput. In Heroidibus praeter 12,122 Nostraque adhaererent ossibus ossa tuis, 15,28: Jam canitur toto nomen in orbe meum, quas epistulas Ovidio abiudicandas esse viri omnes, quorum iudicium in hac causa valet, magnopere consentiunt. Sapphus quidem illud Jam canitur etc. tam aperte Ov. art. am. 740 imitatur, ut verbum addere taedeat. — Jam revertamur ad alteram huiuscemodi generis figuram b β | a α, (quos male habet multa callidus arte puer), quam iam a Tibullo noviens petitam esse vidimus, quocirca etiam a Propertio pluribus exemplis frequentata est quam illa (nostraque adhaererent ossibus ossa tuis) de qua modo dixi; sed inde a tertio demum libro III. 31,12: et valvae Libyci nobile dentis opus. 34,30. nil iuvat in magno vester amore senex et huic similis uno tantum hexametro elegiaco interiecto 34 fluxerit ut magno fractus amore liquor. Fieri enim solet natura animi humani ut in scribendo verbum per longum tempus a nobis neglectum vel antea nondum usurpatum subito nobis praesto sit; quo usi mox iterum utimur. Res est extra controversiam reposita, qua nisum Godofredum Hermannum praeclare multos Aeschyli versus difficiles ac corruptos emendavisse notum est. Ita hic quoque factum est, ut versus forma autea spreta vel ignota cum semel adhibita esset primum duobus carminibus deinde uno tantummodo disticho intermisso rediret. Sed ut revertar in viam, quartus nec non quintus liber ternis huius formae exemplis instructi sunt: IV. 7,68: Et tu materno tacta dolore Theti; 2,12 non operosa rigat Martius antra liquor. 18,4: Et sonat Herculeo structa labore via. V. 1,58: Hei mihi quod nostro est parvus in ore sonus. 78: Horon et a proavo ducta Conone domus. 2,60: ante Numam grata pauper in urbe deus, quem versum Tib. I. 10,20. supra memorati recordationem movere: 'Cum paupere cultu Stabat in exigua ligneus aede deus', memorasse sufficiat. Nec plura exempla praebent Ovidii carmina amatoria am I. 4,24: Pendeat extrema mollis ab aure manus. 14,26: Ut fieret torto nexilis orbe sinus II. 4,40: Est etiam in fusco grata colore venus 11,28: Quam tibi sit toto nullus in ore color. III. 1,64: Jam nunc contacto magnus in ore sonus. ars I. 74: Belides, et stricto sat ferus ense pater. II. 18: — tam vasto

pervagus orbe puer. 556: ne fugiat victo laesus ab ore pudor. med. 98: Haerebit toto multus in ore color. In fastis tres versus huius generis legi. I. 234: Ante pererrato falcifer orbe deus. 666 Omne reformidat frigida volnus humus. V. 638: Raucaque dimovit talibus ora sonis. Plures accedunt ex libris quos exul scripsit. Ib. 166: Respuet invisum iusta cadaver humus. 262: Apollinea clarus in arte senex. 494 Iliaca missus ab arce puer. trist. I. 7,14: Infelix domini quod fuga rupit opus. 10,30: Haemoniae nobile gentis opus. III. 160: Reddatur gratae debitus Urbis amor. III. 1,38: Et magni verum est hanc Jovis esse domum. 62: Belides et stricto barbarus ense pater. 6,38: suburbana est hic mihi terra locus. V. 3,20: Quo non exiguo facta labore via est. 2,32: saevo cinctus ab hoste locus. 6,8: Neve tua sit minor arte fides, ex Pont. I. 2,106 (Korn): stricto squalidus ense Getes. 8,60: sitiens quas bibat hortus aquas. IV. 9,32: Media qui sedet aede deus: 54 Detque bonum voto lucidus omen apex. 10,50: Et nullo tardior omne Tyras. 54: et tacite peragens lene Melanthus iter.

In Heroidum epistulis satis multi occurrunt: 1,24. Versa est in cineres sospite Troia viro 2,32: In falso plurimus ore deus 4,96: Ibat ad hunc sapiens a sene diva viro 8,72: Mopsopia Taenaris urbe soror 15,176: Sit procul insano victus amore timor 16,226: Crescit et invito lentus in ore cibus. 17,96: Quam cadat externo noster amore pudor. 18,172: Cumque mea fiunt turbida mente freta. 19,122: Et latet obscura condita nube dies.

Atque haec quidem omnia sunt exempla quae poetae elegiaci ad hoc schema composuerunt. Neque de nihilo verba ipsa horum versuum ante oculos posuimus, sed ut quasi lumine apposito intelligatur et paene certis formulis usos et memoria repentina nec voluntaria motos ad hanc formam minus elegantem descendisse poetas, Ovidium nimia sui imitatione eam saepius quam par erat expetiisse. Nam ut trist. III. 1,62. omittam paucis mutatis ex arte I. 74 depromptum, ex duodecim exemplis fastorum et carminum amatoriorum vocabulo orbe tria, vocabulo coloris totidem instructos esse moneo, eadem aut simili formula terminantur am II. 11,28: in ore color et med.

98, in ore sonus Prop. V. 1,98. am III. 1,64 fa. V. 638. nobile dentis opus Prop. III. 31,12. nobile gentis opus, Ov. trist I. 10,30. structa labora via Prop. IV. 18,4. facta labore via est Ov. tr. V. 3,20. Consonant: Tib. I. 4,76 Callidus arte puer. Ov. ars II. 18 pervagus orbe puer. Ib. 494 ab arce puer. — nullus in ore color. laesus ab ore pudor. multus in ore color: debitus Urbis amor. victus amore timor. noster amore pudor. 'Cetera de genere hoc longum est si dicere coner', quae si uberius vellem exponere vereor ne longiore opus esset disputatione quam pro nostro consilio, quare alio loco de Ovidio sui imitatore si dis placet disputabimus. Talia enim si quis casui tribuat is casus profecto haud levis momenti est.

Ac de his quidem rebus satis dictum esse opinor. Sequitur ut de figuris duabus ordine proximis usu quam maxime seiunctis b | $\beta\alpha$ a (Ultores rapiant turpe cadaver equi) et b | $\alpha\beta$ a (Ludat et ante tuos turba novella pedes) disseram, quas omnibus post habitis adamavit Tibullus, pari fere versuum numero ac bβ | aα (Tristia cum multo pocula felle bibat) praeter ceteros frequentavit Ovidius, non aequabili usu tractavit Propertius. Atque ut aliquando ad Wackernagelium confugiam, aliqua tantum ex parte recte habet quae vir illustrissimus nuper defunctus l. c. p. XVII. exposuit de his figuris: „Zwei von der bisher besprochenen (de parallelo dicit ordine) Methode abweichende sind noch zu erwähnen, deren eine den Parallelismus ganz aufgiebt (bβ | αa) etc., die andere (b | βaα. b | $\alpha\beta$a.) ihn nur zur Hälfte bewahrt; letztere ist besonders Tibull und Ovid geläufig." Non dubium esse potest, quin haec sententia talibus verbis ex posita valde confusa sit et inanis. Nam ut de parallelismi illa ratione legis unicae instar habita taceam, quam in hac quaestione diuidicanda falso eum iniisse existimo, non verum est Propertium his figuris minus usum esse Tibullo et Ovidio, in primis libris arte pubescente scriptis alias Tibullo alias Ovidio minus usurpasse eum constat, cum hoc tempore bβ | aα (Tristia cum multo pocula felle bibat) et aβ | bα (Cera tuae primum consica mentis eat) ceteris anteponeret.

Sed arte corroborata omnia plane mutata sunt. Figuram (ultores rapiant turpe cadaver equi) b | $\beta\alpha$ a, ad cuius normam

primi libri fere tertium quemque versum, de quibus quaeritur alterius plus quam tertium quemque formavit Tibullus Lygdamo sequente, septem exceptis omnes quarti libri elegiarum versus confecit auctor, — in primo et secundo libris quinis adhibuit exemplis Propertius I. 6,10. 19,2. 24. 20,6. II. 1,28. 2.10. 6,28. 7,12. 8,32. tertii libri sedecim accedentibus, sed libri quarti et quinti iam eadem pars ac Tibulli primi et alterius libri norma istius figura continetur. Neque exemplis ut in re manifesta opus est. Simili ratione et ceteris formis, de quibus Wackernagelius loquitur, hunc poetam usum esse partim vidimus (b | βaα stabat in exiguo ligneus aede deus), partim statim videbimus. Ac nunc quidem primum de b | αβa (v. tab. Nr. 3. Ludat et ante tuos turba novella pedes) forma quae instat breviter exponam, quae quidem aliquanto minore numero ac bβ | aα (tab. Nr. 2. Tristia cum multo pocula felle bibat) et b | βαa (Nr. 1. Ultores rapiant turpe cadaver equi) apud Ovidium usurpata extat exceptis ut antea quarto et quinto Propertii libris, quorum quarta fere pars versuum duobus substantivis et attributis conditorum hanc formam sequitur. At quattuor exempla primus, novem secundus, octo tertius praebet liber. Tibulli primus tantum liber istiusmodi figurae versibus abundat, non minus quinto quoque versu ad eius exemplum constructo, altero libro proxime accedente. Ovidius in tribus quas diximus figuris adhibendis admodum sibi constat, numeris ut par est paullum fluctuantibus sed ita ut primum semper obtineant locum. Primae partes concessae sunt fig. b | αβa: (tab. Nr. 1.) Ib. trist. II. III. Her. tantummodo in Deianira, art. I. am. I. II. rem. fast. IV.; b | αβa (Nr. 3.): fast. II. III. V. XVI. ex Pont. I. am. III. I. Her. Canace; bβ | aα (Nr. 2.): trist. I. IV. ex Pont. II. IV. art. II. Accedunt plurimae Her. 1. 2. 4. 6. 7. 13. 15. 19. Inter primas pares b | βαa et b | αβa: fast. I. Her. 3.; bβ | aα et b | βαa ex Pont. III.; bβ | aα et b | αβa et art. III. Her. 16. Restant trist. V. in quo primas agit. fig. aβ | bα, in med. formae fig. bβ | αa (Immiti saevus duxerat arte faber). Heroidum quae supersunt partim huic partim illi primas tribuunt, partim nulli. Quibus constitutis hoc nobis effecisse videmur, ut quam futile sit et

vanum versu hinc illinc decerpto, prout ut fert libido, de universa arte certum ferre velle indicium, ut fere semper factum est in causis nostrae similibus a viris doctissimis Corssenio, Drobischio aliis nec non a Wackernagelio, quo fit, ut similia potius veri quam vera magna cum securitate in lucem emittantur, id quod inscitia multo periculosius recte habetur. Sed opus est strenua cura ac diligentia nec delectationis aucupio oppressa, quo ducti nostro tempore pessime vexant poetas Augusto aequales viri scilicet magni acuminis laudem expetentes ex strophica illa responsione carminibus venustissimis male dissectis et foedatis, in quorum numero sunt: Prienius, Drenckhahnius, Kornius, Müllenhoffius, Bubendeius alii[19]).

Sed iam transeamus ad quattuor genera formarum explicanda, quae ea re tantummodo a quattuor prioribus differunt, quod non attributum sed substantivum solum caesurae praemittunt. Huc referendi sunt: a | β b α (v. tab. Nr. 16. exidit asperitas huius iniqua loci.) a | α b β (tab. Nr. 15. o princeps parce viribus use tuis) a | β α b (Nr. 6. crescet et ingenium sub tua iussa meum) a | α β b (Nr. 5. et capiunt animi carmina multa mei) inter quae et ipsa similis usus ratio intercedit atque inter illa quattor a nobis modo tractata, cum duo priora respuantur, cetera usu communi probentur, quocirca ut antea fecimus de figuris usu eodem coniunctis iunctim disputabimus. Ac latius quidem alteram primi generis formam a | α b β patere passi sunt poetae elegiaci quam primus sed nonnisi semel in usum suum convertere causus est Propertius IV. 7,4. semina curarum de capite orta tuo, altera a | β b α ignota iacebat, donec Ovidius cum licentiae iam plurima indulsit novarum rerum cupidus hanc quoque tentavit fast II. 294: Nectar erat palmis hausta duabus aqua, nec saepius in his libris, neque in Ibide, neque in tristiis. Singulis exemplis

---

[19]) Amor. I. 6. quidem ab Ovidio strophice compositum esse nemo iam negabit disticho inepto 65. 66. ab Arm. Hampkio bene eiecto: Jamque pruinosos molitur Lucifer axes inque suum miseros excitat ales opus, quod haud scio an ex am. I. 13, 1 ff. inprimis v. 8. originem ceperit.

quartus et tertius ex Ponto epistularum libri instructi sunt III. 68.: Fac tu sustineas debile sola iugum et IV. 4,22.: excidit asperitas huius iniqua loci. Quos tres si Ovidius fecit versus, solos fecit ad istius figurae legem. Sed ecce! Qnanta laboravi Charybdi! Heroidum oblitus sum praeiudicata opinine tentus versum istiusmodi generis auditu horribilem extare non posse in carminibus, quae nunc quoque a viris nonnullis in praestantissimis Ovidii numerantur. Sed inest in Herus (XIX.) epistula hexameter elegiacus qui huc spectat 94: Flammaque non fiat frigidus illa cinis, quam epistulam Ovidii abiudicandam esse quis est qui neget nisi mente plane occaecatus?

Illud vero memoratu dignum, quod hic versus in illa ipsa parte legitur quam Lehrsius [20]) acumine iudicii inde a v. 64 a priori segregavit quippe quae ab alio profecta sit auctore neque ingenio neque arte cum primae partis auctore comparando. Atque haec de hac forma hactenus. Alteram illam, in qua adhibenda ducem habuit Propertium multo pluribus tractavit exemplis. In amatoriis quidem carminibus praeter am I. 6,42: Verba dat in ventos aure repulsa tua et III. 8,18 Heu, ubi mollities pectoris illa tui, nihil huc pertinet, ex fast. II. 7,90: Infelix epulas hostibus illa suis, si recte a me huc relatus est versus, et similis 826: Eloquar infelix dedecus ipsa meum; tum V. 562: Armaque terrarum milite victa suo VI. 258: Cum flammae custos aede recepta sua est. Plurimae ex tristium elegiis accedunt I. 1,52. 3,74. II. 40. 128. IV. 10,34. V. 12,48. ex Pont. III. 114: Caesaris est coniunx ore precanda tuo et duobus tantum distichis interiectis 120: Filiave Aeëtae voce movenda tua est, quibus duobus versibus exceptis ex his libris nihil hanc figuram sequitur. Sed de toto hoc loco inde a 105—124, qui etiam in codice B signo corruptelae notatus adhuc certam exspectat medelam cum a Kornio infeliciter tra-

---

[20]) l. c. p. CCXXXV. Das ist eine hübsche, man möchte sagen, was man gar selten in diesen Episteln sagen möchte eine anmutige Epistel bis v. 64, welche bis dahin als eine vollständige Ovids unbedenklich würdige Epistel erscheinen könnte. Aber von da an folgt Unruhe, Spitzfindigkeit, Wiederholung, Gelersamkeit u. s. w.

ctatus sit, infra de duobus vel pluribus eiusdem formae versibus iunctim propagatis disputaturus uberius disseram. Hoc loco v. 120 aliunde immigrasse dixisse satis sit. Heroidum ex epistulis trium versuum ad hanc formam pertinentium mentio facienda est: 5,22 et legor Oenone falce notata tua. 7,134: Parsque tui lateat corpore clausa meo. 16,304: Cura tibi non est hospitis ulla tui. Septimam illam epistulam (Dido) Ovidii esse non posse, vel potius non eam esse quam se fecisse poeta ipse testatur am II. 18,21 sq. scite demonstravit Lehrsius l. c. p. CCXXV. CCXLII sq.

Nec in his diutius morabor. Utramque huius generis formam quae restat a | β α b tab. Nr. 6. et a | α β b Nr. 5. latius patere iam dictum est. Ac Tibullo quidem, quo floret simplicitatis et tersae elegantiae studio, minus probatae sunt, figurae enim a | β α b versus ter adhibuit I. 5,40: sed precor exemplo sit levis illa tuo, 5,48: venit in exitium callida lena meum, IV. 13,4: formosa est oculis ulla puella meis, qui versus fines nostrae disputationis iam transgredi videtur. Sed totum hoc carmen procul abest a festiva venustate ceterarum huius libri elegiarum, nec cum his coniungendum. Altera forma a | α β b, quae ad illas pertinet 'die nur zur Hälfte den Parallelismus bewahren, und besonders dem Tibull und Ovid geläufig sind' uno exemplo priorem superat, sed a Tibullo ipso non plus semel usurpata est I. 9,80: et geret in regno regna superba tuo, ter a Lygdamo temptata 3, 34: faveas concha, Cypria, vecta tua 5,12: nec cor sollicitant facta nefanda meum 18: cum cecidit fato consul uterque pari. De Propertii usu nihil novi adicere opus est, qui cum primo tempore angustis usus esset terminis in eligendis hexametrorum elegiacorum formis, arte vigente laetissima copia in modum Ovidii sed frenis licentiae minus laxatis delectatus est. Quod luculentissime harum quoque formarum usu probatur, quarum versuum numerus augetur librorum progressu: ad a | α β b (aut sine te vitae cura sit ulla meae) I. 11,22. II. 9,42. 1,74. III. 15,20. 20,24. 26. 27,10. 32,20. Alterius formae a | β α b versus quem tertio libro inseruit 28,54. a Maur. Hauptio

quidem corruptelae signo notatus est (et Phoebi et Priami diruta regna senis), sed eo omisso septem alii praesto sunt III. 23,20. 32. 19,10. 22,4. 25,12. 31,4. 34,86. IV. 1,20. 2,16. 8,20. 9,44. 52. 10,24. 10,24. 16,24. 17,8. 19,8. 16. 21,62. V. 1,102. 136. 140. 6,42. 82. 7,6. 9,44. 11,18. 90. 98. Sed primus istius speciei versus est II. 9,40: Sanguis erit vobis maxima palma meus. Quo igitur his enarratis pervenimus? Eo videlicet ut illis assentiri non possimus, qui nullo inter singulos libros discrimine statuto de arte Propertii in universum iudicant, quo nihil perversius fieri potest, cum maxima intersit differentia inter libros priores et posteriores [21]).

Restat, ut Ovidium excutiam, qui quam aequabiliter hic ut fere semper se praestiterit tab. dilucide illustratur, quare non opus est hoc facere longius: plurima harum formarum exempla leguntur in am III. II. rem. (a | α β b) ex Pont. II. (item), neque unquam in ullo libro — medicaminum fragmentum omittitur — plus quam sedecim alterutrius formae versus vidi nec minus quam unum, qui in trist. IV. 4,34: ‚Sed prius auctori sunt data verba tuo‘ locum cepit (a | β α b), quod casu factum esse eo evincitur, quod altera forma decem sibi versus vindicavit, ceterum nunquam minus quam quinque exempla recepta sunt. Heroidum epistularum versibus ad a | α β b (Separor a domina nocte iubente mea) conditis caret nulla, Cydippes (XXI.) sex hexametris elegiacis omissis, ad a | β α b constructis nonnisi I. II. VI. VIII. Sed omnes maxima inter se usus differentia disiunctae sunt, cuius rei pauca exempla sufficiant: ep. XIII. ad prioris figurae normam compositos versus continet unum, XIV. duos, XV. quinque, XVI. quattuor, XVII. tres, XII. decem. De hac epistula iam saepius quae sit sententia mea exposui, neque quemquam fore arbitror, qui temere me hariolari dicat, si Ovidii arti prorsus aversari contendo formam hexametro elegiaco valde accomodatam et ab omnibus

---

[21]) Quae cum ita sint iudicium probare nullo modo possum a Luciano Müllero de re metr. p. 91. propositum de arte elegiacorum: Distichorum artem post Catullum incohavit Propertius, promovit Tibullus perfecit Ovidius etc.

semper expetitam neglectam iacere, inferioris notae formam omnibus postpositis ita praeferri, ut tertiam omnium versuum partem, qui nunc in discrimen vocati sunt, sibi vindicet.

Quoniam igitur de hoc quoque genere satis superque dictum est, iam de genere figurarum quod restat quaestionem persecutus huic parti finem imponam. Etenim tritum est de natura rerum iudicium, cui quonimus fiat nihil obstet, fieri solere, quod idem in rebus metricis valere videtur. Nam cum octodecim species varii generis a nobis perlustratae sint quae quidem uno aut duobus vel attributis vel substantivis ante caesuram positis formantur, fieri etiam potest, ut quattuor vocibus occurrentibus, tres ante caesuram locum capiant. *Quod omnium et rarissimum et pessimum est*, nec unquam nisi necessitate metri vel novitatis aucupio vel limae incuria effectum est. Itaque factum est, ut ex hexametris elegiacis plus tredecim milibus viginti duo octo modis, qui istius generis exsistunt, formati extent. Videndum erit a quibus poetis et in quibus libris et quotiens usurpati sint. Ac Tibulli quidem libris nondum evolutis versum istiusmodi generis in illis frustra me quaesiturum esse censui, id quod observatione peracta probatum est. Propertius in hac quoque re exemplo valuit, quamquam ispe rem leviter tentavit. Duos habemus versus, quorum alterum ad fig. b β α | a II. 3,28: Ista decem menses non peperere bona, quae forma etiam Ovidio probata est, alterum ad fig. a β b | α IV. 25,4: Ungue meam morso saepe querere fidem, cui qui sit similiter compositus hexameter elegiacus profecto nullus extat. Sed illius exemplum secutus est Ovidius, qui praeter formam, quam modo dixi omnes huius generis adhibuit. Abstinuit quidem prorsus his formis in amorum compositione, nec plus semel in arte sibi huius generis versum indulsit ad b β a | α constructum III. 696: Lassus in hac iuvenis saepe resedit humo, sed in remediis iam tres locum habere passus est ad illam quidem normam iam a Propertio introductam b β α | a 170 Quaelibet huic curae cedere cura potest. 530: Et tua saevus Amor sub pede colla premit: tertium 232: At pretium pars haec corpore maius habet (a α b | β). Sed longe abest ab hac cautione in libris, in quibus quod venit ex facili satis

erat componere, et nimis intenti causa laboris aberat. Etenim cum fastorum quattuor huc versus accedant diversis modis compositi, unus tantum I. 428: Ipsa sui flatus ne sonet aura cavet, normam iam antea notam amplexus est. ceterorum unusquisque novam atque inauditam speciem secutus est I. 192 (a α b | β): Qui stipe mel sumpta dulcius esse putat. IV. 376 (b α a | β): Hac fortuna die Publica, verus erit. 188 (a α β | b): Et fora Marte suo litigiosa vacent. Sex exemplis in tristium libris offendimur, quorum quidem quattuor ad eum figurarum ordinem facta extant, quae aliqua ex parte mitigantur attributorum praepositione II. 450: Seque sua miserum nunc ait arte premi, IV. 5,30: Quo pius affectu Castora frater amat; I. 6,18: Hic aliquod pondus si modo testis habet III. 1,4: Nullus in hac charta versus amare docet. Novum schema V. 2,22. praebet (a β α | b): Parsque meae poenae totius instar erit, V. 12,6: Sorte nec ulla mea tristius esse potest, fast I. 192 exemplo tuetur. Ad aliam formam adhuc non visam Ib. 458 pertinet (b α β | a): Et tua dente fero viscera carpat equus. Nec plura genera iam formari possunt. Ad formas b β α | a . b β a | α . b α β | a sese aplicaverunt ex Pont. I. 7,4: Haec me Nasonem scribere verba latet. III. 3,48: Haec te discipulo dona magister habet; II. 7,10: Omnibus unca cibis aera subesse putat; III. 1,2: Quaeque nec hoste fero nec nive terra cares. IV. 6,14: Ipsum morte tua concidit auxilium. Nec mirum est ex Heroidibus me adferre huius generis exemplum 9,70[22]): Huic victor victo nempe pudendus eras, cum quo omnino praeter fast, IV. 376. satis excusatum nihil comparari potest.

Iam huius partis finis adest, nihil amplius de usu formarum addo. Sed reminiscendi causa singula breviter colligere placet et unum sub aspectum subicere. Cum formis quae quattuor membris in uno hemistichio coacervatis existunt uno excepto versu supra allato non usi videantur esse poetae elegiaci, ceteris omnibus nonnisi magna cum elegantia et cautione functi sunt. Cuinam tribuas palmam difficillimum est ad diudicandum. Nam si severitate et simplicitate mera elegantia laus efficitur artis elegiacae fieri non potest. quin

[22]) V. Lehrsium l. c. p. CCXLVIII. sq.

Tibullus, si copia ac varietate formarum, quin Ovidius primas sibi vindicet. Propertius inter utrumque positus prima carminum parte Tibulli simplicitatem secutus, alterius partis laeta formarum copia vel Ovidium superat. Haec enim est ratio quae inter eos intercedit: quinta fere omnium hexametrorum elegiacorum pars binis substantivis et attributis instructa est apud Tibullum, quarta apud Ovidium, Propertii I.—III. quinta, deinde tertia iam quarti libri, quinti fere altera. Etenim cum novem formis contentus esset Tibullus, Propertius in monobiblo octo, in secundo decem, in tertio tredecim, in quarto quattuordecim, in quinto duodecim formas plurimis frequentavit exemplis. Ovidius vero cum in carminibus amatoriis decem et septem usus esset figuris, viginti modis fastorum versus huc pertinentes, uno addito, quos composuit exul, variavit.

Heroidum epistulae non ad amores vel artem amatoriam usu ac ratione formarum accedunt, sed cum exilii potius elegiis conferantur necesse est.

Quae cum ita sint, in tanta formarum varietate tamen si in universum omnia respexeris, miram usus aequabilitatem invenies, ut in usu formarum, quae toti hexametri elegiaci naturae atque indoli optime conveniunt, praeclara et paene mirifica inter omnes constet concordia, utpote certis elegantiae et pulchritudinis legibus fundata ac stabilita. Quod non ita a me dictum esse putetur, quasi praescriptas fuisse severas nec violendas leges poetis elegiacis Augusteae aetatis contendam, sed idem de hac re me sentire confiteor, quod de hexametrorum heroicorum regulis bene dixit Drobischius[23]: "Das unter 16 Versformen wählende Individuum, wenn auch im Einzelnen oft nach bestimmten Absichten wählend, befolgt doch im Grossen und Ganzen ein Gesetz, dessen es sich wenigstens in abstracto nicht bewusst ist". Nostrum autem est officium, ut quoad eius fieri potest leges quibus figurarum usus nisus sit penitus perpiciamus.

---

[23]) Statistischer Versuch über die Formen des lat. Hexameters, Berichte der sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften 1868. I. p. 65.

Ac primum quidem nemini iam potest esse dubium, quin eas inprimis formas plurimis tractaverint versibus poetae elegiaci, in quibus attributa leviter sonantia substantivorum moli praeponuntur, id quod latissime patere vidimus in figuris litteris b β | a α (tristia cum multo pocula felle bibat) et b | β α a (Ultores rapiant turpe cadaver equi) consignatis, quae tertia b | α β a (nostraque adhaererent ossibus ossa tuis) adhibita primum locum obtinentes longo intervallo a ceteris disiuncti sunt. Quae cum ita sint, iam Wackernagelius quaenam huic rei causa subesset scite intellexit, etsi ab eo nonnisi ad illam solam figuram relata sit, quae parallelismi sui rationem adiuvit, de ceteris nihil sani excogitavit. Dixit enim p. XII. "Es soll in der ersten Hälfte noch nichts für die Vollendung des Sinnes geschehen: die erste Hälfte beginnt, die zweite vollendet, die erste schürzt, die zweite löst", id quod iisdem paene verbis exposuit Gruppius l. c. p. 20. "Die erste Hälfte gibt noch keinen Sinn und drängt zum Schlusse hin, so erhält der Vers sein höchstes Interesse und seine grösste Anmuth". Ab aestheticis igitur rationibus legem repetendam esse iam dudum intellectum est. Quid enim aures teretes minus ferre possunt quam versus diffluentes sine robore ac viribus? Quodsi ea potissimum uniuscuiusque metrici ordinis lex est, ut finis proprias leges quam severissime retineat, bonus versus haberi non potest, cuius pars prior gravibus validisque verbis referta omnia ad sensum necessaria altera nihil nisi epitheta vasta et inania contineat. Forsitan quaerat quispiam, quo modo factum sit, ut non eadem exemplorum copia floruerint formae b β | α a (ardua derepto cortice cedrus habet; v. tab. Nr. 2.) et b | β a α (stabat in exiguo ligneus aede deus; v. tab. Nr. 10.) ut formas praetulerint saepe, quas, si illam regulam solam secuti essent poëtae, quam rarissime usurpassent, velut quas a | β α b (ante oculos veniet vera puella tuos, v. tab. Nr. 6.) a | α β b (separor a domina nocte iubente mea; tab. Nr. 5.) a β | b α (Cera tuae primum conscia mentis eat; tab. Nr. 4.) aliis formulis adumbravimus. Praeterea non intelligitur, cur ad fig. a α | b β (brachia nunc humeris umida ferre meis; t. Nr. 8.) satis multos versus fecerint, per

chiasmum positam a α | β b (Fortunae species obstat acerba meae, v. t. Nr. 14.) neglexerint; nec aliam rationem intercedere voluerunt inter a | β α b (t. Nr. 6.) et a | β b α (t. Nr. 16.) a | α b β, (t. Nr. 15.: O princeps parce viribus use tuis) inter a β | b α (t. Nr. 4.) et b α | β a (t. Nr. 13.) aliaque quae addere longum est. Itaque cum illa norma aesthetica cognita iam perspiciatur, cur versus ad fig. b β | a α b | β α a compositi frequentissimi extent, cur substantivis vel attributis duobus altero vel substantivo vel attributo adiecto rarissime, quattuor vocibus in uno hemistichio compressis prope nullos panxerint hexametros haud aeque liqueat, ad aliam rationem confugiamus oportet, qua cum illa coniuncta, quam modo exposui, vix quidquam fore spero quod intelligi nequeat. Ad quem finem rem paullo altius repetamus.

In evolvendis poetarum elegiacorum voluminibus neminem fugere potest, quam multorum hexametrorum elegiacorum hemistichia coniungantur consonantia finali, naturae eorum accomodata. Propertii quidem iam tertia fere pars versuum MCCXXV nisi fallor, consonantia delectat, ac plurima Ovidii versus praebent, quorum suavitas atque iucunda rotunditas haud exigua ex parte ordinum concentu efficitur. Plura adiicere supervacaneum est, cum Guil. Grimmius uberrime ac copiosissime de hac re disputaverit. Sed omnes nubem ut aiunt pro Junone amplexi sunt, qui certis quibusdam regulis in homoeoteleutis usurpandis nisos esse poetas censuerunt, quarum norma non unum alterumve sed longe maxima pars quin etiam unumquodque distichon contineatur necesse sit. Extat haec sententia, quod vix credibile, Eichneri in observationibus metricis proposita, quarum iam supra mentionem fecimus utpote magna cum diligentia ac cura institutis. Sed in homoeoteleutorum natura atque indole adumbranda magni ingenii laudem expetens mirum in modum occaecatus ridicula et absurda enucleavit. Quid impedit dicit p. 3. quominus missa illa alterius ab altero versus seiunctione distichon in quattuor partes caesuris dividamus quo facto non solum I. (prima heroici pars) cum II. (altera) sed etiam I. cum III. (prima elegiaci pars), cum IV. (altera elegiaci), II. cum III., cum IV. etc., homoeoteleutis iunctos esse contendit. Quin

etiam eo processit audaciae, ut hac opinione ductus emendare versus integros et nulli suspicioni obnoxios inciperet; et alia promisit, quae libenter iuveni acuto condonantur, modo ne putet hominem sani iudicii talia, quae versibus hinc illinc dereptis *ἀμύμονι θυμῷ* excogitavit probaturum esse. — An novam suam atque inauditam sententiam probatam esse putat duobus vel tribus versibus uniuscuiusque generis allatis qui consonantia magnifica syllabarum linguae Latinae sponte ac casu concinunt? Facete Maur. Hauptium dicere memini de Heimsoethii conicturis, Aeschylum turbantibus, Homerum quidem dixisse *τὴν ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται*: at in rebus philologicis non ita esse debere; id quod latissime patet. Quae in nostra quaestione de consonantia finali apud elegiacos sola tenenda sunt, Lachmannus, cuius auctoritas in his rebus longe gravissima existimanda est, optime ad Prop. I. 18,5. exposuit iam 1816, qui longe frequentissimum homoeoteleuti genus esse dicit, id quod ad quaestionem pertinet quae instat, si adiectivum substantivo adhaereat. Illam enim alteram legem esse, qua utebantur in hexametris pangendis poetae elegiaci apparet, ut substantivo et attributo suo versus ordines terminentur 'Daher reimt der Pentameter so oft im Lateinischen selten im Griechischen.' Freese Metrik p. 367. Sed tantum abest, ut consonantia finalis minime per se expetita sed tantam collocatione illa attributorum et substantivorum exorta sit, ut magnopere concentum illum placuisse autumem, et verborum collocationem concentu finali, hunc illa maxime promotam esse et expetitam. Ita igitur factum est, ut duabus rebus attributorum praepositione et concentus attributi substantivique studio formarum hexametri usus praecipue contineretur. Qua propter cum in illustrandis figurarum generibus nativo quodam ordine supra usus sim, tabellam huic dissertatiunculae subiunctiam ita confici malui, ut primo obtutu quas adamarint, quas respuerint formas ratione et ordine clare eluceat. Primum igitur locum figurae obtinent tab. Nr. 1—3. quae utrique legi satis faciunt, quo praeter b β | a α (tristia cum multo pocula felle bibat tab. Nr. 2.) b | $\beta \alpha$ a (ultores rapiant

turpe cadaver equi tab. Nr. 1) etiam b | $\alpha\beta$a (ludat et ante tuos turba novella pedes, tab. Nr. 3.) referenda est, cum etsi altero attributo substantivum suum sequenti regula prima aliqua ex parte laeditur, tamen maxima alterius figurae (b | $\beta\alpha$ a) similitudine, et, id quod plurimum valet, potestate consonantiae ordinum clausulis efficiendae commendata usu ceteras aequet. Secundo porro loco ponendae sunt formae (tab. Nr. 4—8.), quae attributorum et substantivorum ordine facultatem consonandi praebent praeeuntibus iis, quae alterum tantum attributum substantivo praemittunt: a β | b α (Cera tuae primum conscia mentis eat, tab. Nr. 4.) b α | a β: (Itala portentis nec fluit unda novis tab. Nr. 7.) a | $\beta\alpha$ b (Ante oculos veniet vera puella tuos, tab. Nr. 6.) a | $\alpha\beta$ b (Separor a domina nocte iubente mea, tab. Nr. 5.) a α | b β (Brachia nunc umeris humida ferre meis, tab. Nr. 8.) Quibus subiciendi sunt (Nr. 9—13.) quae verborum ordine consonantia prohibita ab aestheticis rationibus duobus vel uno attributo praeposito usum modicum expetunt: b β | α a (ardua derepto cortice cederus habet, tab. Nr. 9.) b | β a α (stabat in exiguo ligneus aede deus, tab. Nr. 10.) a β | α b (Officium tota nocte valere meum, tab. Nr. 12.) b α | β a (Has fortuna tibi nostra ministret opes, tab. Nr. 13.) b | α a β (Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus, tab. Nr. 11.) a | β b α (Excidit asperitas huius iniqua loci, tab. Nr. 16.), ex quibus latissime patere primam non mirum est, cum attributorum positione et fig. primariae b β | a α similitudine ex turba ceterarum multum emineat. Quarta pars constat ex figuris infimae notae, quae neutri legi respondent (tab. Nr. 14—16.) a α | β b (Fortunae species obstat acerba meae, tab. Nr. 14.) a | α b β (O princeps parce viribus use tuis, tab. Nr. 15., Nr. 17—24.) Octo quae supersunt figuras meo iure a societate ceterarum prorsus retinui, inter quos nihil interest nisi illud fortasse, quod primo loco ponendi sunt, quorum attributa substantivis praemissa sunt. Sed nisi singula persequi desinam profecto mihi verendum videtur esse, ne me lector defatigatus itinere nondum confecto male deserat, quare huic parti fine imposito reliqua peragere quam brevissime placet

Restat enim locus huic quaestionum fasciculo vel maxime necessarius, qui nunc ad liquidum perducatur.

De hexametris elegiacis eiusdem formae deinceps repetitis.

Cum arte cognita, qua in eligendis adhibendisque tot variis formis hexametrorum summa cum sobrietate iudicii usi sunt Tibullus Propertius Ovidius, quasi sponte sua quaestio intercedat, utrum varietatis ac severitatis studio plus dederint, quatenus cura cernitur, qua hexametros ad idem schema compositos continuari non conceditur, an laxiores ac liberiores in coniungendis distichis versati, similes versus deinceps propagare non vitaverint, eam potissimum ob causam ad hunc usum explanandum accingor, quod vir doctissimus nuper disticha fraudis suspicione affecit, quorum h. elegiaci ad schematum b | $\alpha\beta$a. b | $\beta\alpha$a. et repetiti b | $\alpha\beta$a normam continuati extant (v. Lehrs. l. c. p. CCXXX. sq.) Leguntur hi versus in epistula III. Briseis inscripta inde a 83—88.

Et iacet ante tuos Graecia maesta pedes.
Quid lacerat Danaas impiger Hector opes.
Et preme turbatos Marte favente viros.

Ac primum quidem mea sententia dici non potest, hexametros eiusdem formae hoc loco ter repetitos esse, cum, quamvis maxima coniunctae sint similitudine formae illorum versuum, tamen differentia intersit. Huc accedit, quod has formas tanta multitudine frequentaverunt poetae utpote naturae atque indoli hexametri elegiaci aptissimas, ut praesertim alio similis formae versu interposito nullam habeat offensionem artissima talium versuum coniunctio, neque unquam a poetis vitata sit. Itaque placet nobis quaestionem et iucundam et utilem accurate instituere, nam etiam in hoc genere nisi quae certa ac simplici continentur ratione nihil prosunt. Sed iam ut accingar ad materiam enarrandam, initium faciamus ab ea quaestione, quasnam formas iunctim propagari passi sint elegiaci, cum a priori ut dicunt non verisimile sit discrimine nullo statuto passim cuiuslibet generis figuras continuatas esse. Quare hoc in

principio ponendum est, eas tantummodo formas bis vel ter repeti licuisse, quae usu frequentissimo tritae non exceptionum sed legum instar habitae sunt plus minus late patentium. Quae cum ita sint nemo unquam iunctim propagavit formas hasce: bα | aβ. aβ | αb. aα | bβ. aα | βb. bα | βa. b | βaα. b | αaβ. a | αbβ. a | βbα. nec non octo, quae tria membra caesurae praeponunt. Quapropter quanta inscitia et errore lapsus sit O. Kornius, novissimus ex Ponto epistularum editor, in emendando loco scopuloso atque corrupto ex Pont. III. 1,105 sq. facere non possum quin exponam.

Labem immundam huic loco contractam esse quivis lector pectore aliquo sensuque pulchri praeditus intelligit. Quamquam enim, ut non inficete dixit Teuffelius röm. Liter.-Gesch. p. 453: „Ovid das mythologische Rotwälsch seiner Zeit mit Virtuosität spricht", tamen hoc loco Ovidium summa aegritudine affectum per multa disticha tam absurde hariolatum esse, ubi uxorem orat atque obsecrat, ut Caesaris coniugem precibus adeat adduci non possum ut credam. Quam ob rem scriptor codicis Argentoratensis B signo corruptelae suo iure locum medelam exspectare indicavit. Kornius igitur cum hunc locum emendare studeret Roeperi collegae auctoritate permotus sic emendavit, ut versus 109—112 et 115—118 ut subditicios uncis includeret, quo facto nunc legitur:

Morte nihil opus est nihil Jcariotide tela.
Caesaris est coniunx ore precanda tuo.
Quid trepidas et adire times? non impia Procne
Filiave Aeëtae voce movenda tua est.

Habes hexametros elegiacos genetivorum Aeëtae Caesaris transpositione excepta non ovum ovo similiores, utrumque ad figuram a | αbβ quam rarissime usurpatam, ad cuius normam praeter hos ipsos ne unum quidem epistularum ex Ponto versum factum esse supra demonstravi. Atque hoc quidem loco arbitrio Kornii duos huius generis admodum spreti continuari non ferendum est, praesertim cum nemo unquam ne similes quidem versus generis magis probati sic coniungere ausus sit,

qua re maximam ingenii exilitatem ostendisset. Quocirca facere non possum, quin excellentissimam Kornii emendationem vehementer explodam[24]).

De reliquis vero formis, ut iam in viam redeam, quae sunt b β | a α. b β | α a. b | β α a. b | α β a. a | α β b. a | β α b. a β | b α haec habeo quae expediam: apud Tibullum quidem secundae, quintae, sextae ,septimae formae hexametros iunctim propagatos frustra quaeres, Propertius et Ovidius omnes ad hunc finem adhibuerunt. Ac sua sponte quidem intelligitur, plurimos eiusdem formae bis iunctos, multo rarius tres continuatos admitti posse, quod tamen ipsum ne graviorem quam par est offensionem excitet; nec ultra unquam progressi sunt elegiaci, cum quattuor plane eiusdem formae versus elegiacos deinceps audire iustum moveat taedium. Sed iam singula perlustremus a tribus versibus continuatis initium facturi.

---

[24]) Equidem hunc locum sic restituendum esse arbitror, ut. v. 105 bis 112. 115—124 a sciolo nescio quo ex scrinio rerum mythologicarum petitos ut quovis Ovidii carmine indignissmos eiciam. Quo facto sic legitur: v. 99 sq.

„Gratia si nulla est, lacrimae tibi gratia fient.
Hac potes aut nulla parte movere deos.
Qua tibi ne desint bene per mala nostra cavetur:
Meque viro flendi copia dives adest.
Utque meae res sunt omni puto tempore flebis. 104.
Has fortuna tibi nostra ministrat opes. 113.
Morte nihil opus est nihil Jcariotide tela.
Caesaris sed coniunx ore precanda tuo est.
Femina sed princeps, in qua fortuna videre
Se probat et caecae crimina falsa tulit“.

Sic omnia bene cohaerent, nec absurdo catalago mythologico hoc loco vel maxime inepto laedimur. v. 114. Cod. Argentoratensis auxilio emendavi (B), qui verba sic praebet Caes. et conc. o. pr. tuo est. Nihil nisi una littera addita s ceteris omissis locum ut mihi quidem videtur, sanavi. Interpolandi cupiditatem hominis insulsi versu 113 excitam esse consentaneum est. Sed utut res se habet, v. 114. 120. pessimos et ovum ovo similiores tam angusto loco coniungi alio exemplo nusquam extante equidem ferre non possum.

Unus tantum Tibulli locus suppeditat, in quo eiusdem formae exempla tria iunctim propagare non dubitavit, formae quidem ipsius, quam omnibus posthabitis eum usurpasse docui, b | β α a I. 1, 8. 10. 12.

Rusticus et facili grandia poma manu.
praebeat et pleno pinguia musta lacu.
seu vetus in trivio florea serta lapis.

Extant quidem Lygdami versus ter continuati III. 6, 38—42, qui a finibus nostri speciminis alieni sunt, cum medius versus uno tantum substantivo formetur. Ad eiusdem figurae exemplum continuati sunt: Ov. fa. VI. 310. sq.:

Fert missos Vestae pura patella cibos. Et velant scabras florida serta molas. Et Fornacali sunt sua sacra deae. Accedunt Propertii ad b β | α a ter deinceps conditi III. 22, 8. 10. 12: Candida non tecto pectore siqua sedet. Indica quos medio vertice gemma tenet. Frigida de tota fronte cadebat aqua; et Ovidii am. III. 9, 62. sq. fig. a | β α b minus usitatam simillimi inter se secuti: Tempora cum Calvo docte Catulle tuo. Sanguinis atque animae prodige Galle tuae. Auxisti numeros culte Tibulle tuos. Iam omnia, quae adsunt exempla in conspectum adduxi, nec vereor, ne oculorum errore deceptus sim. Huc accedit quod ii quoque loci memoratu digni videntur esse, qui quamquam non ex tribus eiusdem schematis attamen specie atque usu haud ita alienarum formarum versibus continuatis constant b | β α a cum b | α β a coniuncta, et uno spurio loco etiam a | α β b cum a | β α b. Sed minime huc referendi sunt frequentissime coniuncti versus ad b β | α a et b β | a α facti, quippe qui toto caelo ratione atque usu inter se distent.

Quod si conceditur fast. tribus illis versibus VI. 310. continuatis quartum addere possumus: 316 Strataque erat tepido tegula quassa solo.

Sed ne sic quidem alterum locum reperies, qui aut fig. b | β α a et b | α β a aut a | α β b et a | β α b versus

quattuor continuatos praebeat. Nec eadem cautione usi sunt elegiaci in tribus similis generis admittendis, quod in Her. III. factum esse iam supra vidimus. Verum enim vero ut a Tibullo nunc quoque incipiamus ad illam ipsam formam, cuius norma prius exemplum I. 1, 8—12. continetur duo alia composita extant ea tamen condicione, ut tertius versus ad fig. b | $\alpha\ \beta$ a pertineat, quae iam appono: I. 10, 22. 24. 26.

seu dederat sanctae spicea serta comae.
postque comes purum filia parva favum.
hostiaque e plena rustica porcus hara.
36. 38. 40.
Cerberus et Stygiae navita turpis aquae
errat ad obscuros pallida turba lacus.
Occupat in parva pigra senecta casa.

Ac prius quidem exemplum totum ad Her. III. 84. 86. 88. in dubitationem vocatum accedere non est quem fugiat:

Et iacet ante tuos Graecia maesta pedes.
Quid lacerat Danaas impiger Hector opes.
Et preme turbatos Marte favente viros.

Cum autem oratio in Heroidum mentionem inciderit, hic iam addendum est, ceteras omnes epistulas carere versibus istius modi generis ter coniunctis excepta spuria illa Saphus epistula (XV), in quae iunguntur tres versus ad modum a | $\alpha\ \beta$ b et a | $\beta\ \alpha$ b compositi: 70. 72. 74.

Accumulat curas filia parva meas.
Non agitur vento nostra carina suo.
Nec premit articulos lucida gemma meos.

Quibus quae sint similia apud poetas elegiacos, quos quidem perscrutatus ego sum, reperi nulla. Quare hoc iusto argumento uti licere quasi cumulo accedente, quo confisi epistulam iure ex ordine segregemus ut fecit Merkelius non modo non repugno sed summopere adprobo. Quod idem recte fieri tertiae epistulae Vss. 84—88. concedere non possum.

Quamquam enim et ipsa Heroidum sola tres similis

speciei versus habet, iam quae nostra sententia sit de istiusmodi figuris supra exposui, nunc, exempla alia istius usus apud Ovidium extare satis multa iam aperiam paucis de Propertio praemissis.

Cuius cum bis omnino eiusdem aut similis formae versus iunctim propagati sint, altero loco iam supra allato, alter ad b | β α a et b | α β a confectus adiciendus est IV. 14, 2. 4. 6.:

Sed mage virginei tot bona gymnasii. Inter luctantes nuda puella viros. Increpat et versi clavis adunca trochi. — Quae ego quidem apud Propertium repererim exempla omnia allata sunt. Apud Ovidium plurima exempla ex fastorum libris huc referenda sunt, eaque ipsa omnia ad illarum figurarum imaginem condita. Hac accedit Ib. 452. sq. am. II. 16,2—6. ff. quibus nihil quod addam habeo. Afferantur iam loci:

fa. II. 588. 560. 562.

Expectet puros pinea taeda dies.
Ornat virgineas hasta recurva comas.
Aufer! habent alias maesta sepulchra faces.

IV. 422. 424. 426.

In quibus est culto fertilis Henna solo.
Venerat ad sacras et dea flava dapes.
Errabat nudo per sua prata pede.

V. 348. 450. 452.

Saepe tibi Stygii regia visa Jovis,
— ex ipso est cognita causa deo.
Et male veloci iusta soluta Remo.

682. 684. 686.

Ablue praeterita perfida verba die.
Non audituri numina magna Jovis.
Abstulerint celeres improba dicta noti.

VI. 192. 194. 196.

Appositum Tectae porta Capena viae.
Cum paene est Corsis obruta classis aquis.
Tunc oritur magni praepes adunca Jovis.

am. II. 16,2. 4. 6.

Parva sed inriguis ora salubris aquis.
Et micet Icarii stella proterva canis.
Et viret in tenero fertilis herba solo.

Ib. 452. 454. 456. — ad Phrygios vilia membra modos.
Et quatias molli tympana rauca manu.
Victor ut est celeri victaque versa pede.

Atque tribus exemplis exceptis omnia ad b | β α a et b | α β a continuata esse, ad b β | a α nulla iam apparet (Fast. VI. 472 sq. de industria ex hoc capite removi.) — Quodsi de his versibus pluribus disputare necessarium videbatur esse, supervacaneum et inutile est de binis hexametris iunctim propagatis, quae quidem longe maxima pars est, copiosius disserere, pauca iam supra praemisi. Quare tantum sufficiat: fig. b β | a α apud Tibullam quattuor extant exempla, apud Propertium quinque, apud Ovidium tredecim tribus ex Epistulis accedentibus: fig. b β | α a praesto sunt non plus quinque: Prop. III. 13,634. 36. Ov. trist. I. 10,14. 16. IV. 3,16. 28. ex Pont. IV. 2,16. 18. fast. IV. 824. 826. Ad fig. a β | b α pertinent: Ov. trist. I. 3,28. 30. ex Pont. IV. 7.24. 28. 8,40. 42. am. II. 14,26. III. 6,56. 58. Prop. I. 7,2. 4. 21,2. 4. Her. 1,50. 52. Neque a | α β b et a | β α b usu frequenti teruntur apud Propertium quidem haec tantum suppeditant III. 20,24. 26. V. 2,42. 44. quorum exemplum Ov. am. III. 14,44. 46. Ib. 582. 584. tr. IV. 3,42. 44. fa. VI. 616. 18. sequuntur. Ad prioris figurae a | β α b regulam continuati sunt: Ov. ars. III. 748. 50. Her. 18,62. 84; sed 12,18. 20. 11,14. 16. 8,94. 96. ad a | α β b figurae normam spectant. Maximam partem ut par est b | β α a et b | α β a sibi vindicaverunt, quarum illa tres Propertii totidem Tibulli, quattuor Ovidii, duos Heroidum locos occupavit, at plures altera: tres Tibulli, septem Propertii, tredecim Ovidii[25]) unum Heroidum 11, 26. 28. Utriusque coniunctae speciem exhibent exempla Propertii sedecim, Ovidii undeviginti,

---

[25]) Rem. 432. 434. in Merkelii editione continuati a. L. Muellero v. 437—440 immissis seiuncti sunt.

Heroidum et Tibulli nulla. Formas a | α β b cum a | β α b continuatas apud Ovidium reperies tr. V. 1, 36. 38. (fortunae qui modus huius erit, fati verba sed ista meae) ex Pont. III. 3, 82. 84. IV. 1, 4. 6. 13. 32. 34. 15, 30. 32. in carminibus amatoriis nonnisi am. I. 10, 46. 48. huc pertinet, in quibus non modo utriusvis figurae duos iunctim propagatos esse sed alterius (a | β α b) etiam tres deinceps positos versus extare iam supra vidimus. Quod ea de causa moneo, nequis praeiudicatis opinionibus ductus in Heroidas invehatur, quod quattuor istiusmodi generis exempla praebeant 3, 44. 46. 4, 164. 166. 12, 36. 38. 90. 92. excepta Medeae epistula, quam, cum talia haud longo spatio interiecto bis offerat iam satis superque ceterum suspiciosa, libenter vexantibus trado. Quibus allatis iam alia exempla non memini. Sed iam tempus est his missis ad eam quae restat quaestionem accedere ne spatii angustiis nimis premamur, qua parte haud levis momenti quanta maxima potero brevitate perstricta, iam finem disputandi faciam.

De attributorum, quibus versus clauduntúr, usu ac ratione.

Vocubula illa quae nomine attributorum adhuc comprehendi varii generis esse vix est quod moneam. Quaecunque enim sive adictiva sive participia sive pronomina, sive verbales formae genere numero casu substantivo respondent finibus huius capitis concludi posse existimavi [26]). Nimirum his omnibus formis, si substantivis praemittendae erant, liberius ut in versus principio semper utebantur elegiaci, ut non multum interesset, utrum epitheton an pronomen an forma verbalis plerumque a forma verbi esse

---

[26]) Quare versus velut hosce trist. IV. 2,52: Miles io magna voce Triumphe canet. V. 2,38: Caesare nil ingens mitius orbis habet cf. 7,44. IV. 8,38. ex Pont I. 5,18. II. 7,16. excludendos esse censui; am. I. 2,34 = trist. IV. 2,52.

seiuncta in priori hexametri hemistichio locum occupasset, quamquam elegantissimi quidem iure habentur versus, quorum pars prior epithetis ornantibus lepide constructus est, nec certae huius rei valebant regulae. Aliter in posteriori versus parte construenda res sese habet. Cum enim exitus versus vasto atque inani epitheto clausus artis leges invertere videretur, plurimum studium in hac parte elaboranda collocabant, quare versus attributo clausi vel maxime in fine huius dissertationis exigui temporis attentionem merito reposcunt. Ea enim erat norma, quam optimus quisque poeta quam maxime servavit, ut quotiescunque attributo alterius substantivi versum terminari opus esset, ad hunc finem forma pronominis posessivi adhiberetur, quae lex tam late patuit, ut ex DCCXCVI hexametris, de quibus hoc capite quaeritur, attributo finitis, DCCXVIII possessivo pronomine claudi voluerint. Quod quare sit factum non difficile est ad intelligendum, cum pronominis illius formae et gravitate et quantitate apta syllabarum huic versus loco ante omnes conveniant. Septuaginta octo igitur tantum eam normam laedunt, de quibus nunc accuratius dicendum est. Atque hi quidem omnes sex versibus exceptis adiectivorum et participiorum formis clauduntur, iisque non nisi viginti quinque diversis et, tribus exceptis a Propertio uno a Lygdamo usurpatis, bisyllabis, quae nunc uno in conspectu componam: cavus, novus, bonus, malus, pius, ferus, par, minor, levis, brevis, sacer, senex, trux, nobilis, Attalicus, Arabs, purpureus, datus, sedens, labens, decens, novem, duo, tres. Ac primum quidem Tibullus nonnisi semel adiectivo usus est I. 8,46: 'novam'. nec saepius Lygdamus III. 4,30: 'purpureus'; longius processit Propertius, qui tredeciens adiectivis et participiis ordinem clausit V. 5,66: cavos, 2,44: levi, 1,44: pios, 8,68: latens, IV. 16,24: sedens. 22,14: novae. 19,16: novae. 22,28: novis. III. 32,12: Attalicis. 31,4: senis. 28,54: senis. I. 11,4: nobilibus, III. 13,8: Arabs. Sed ecce, quanto laxior Ovidius! Duodesexagies adiectiva et participia admisit (semel forma-

verbali adhibita), quorum minima pars ad carmina amatoria pertinet: am. II. 6,38: datum. 5,36: novo. I. 13,44: duas. II. 6,58: pia. III. 9,66: pios. 8,40: cava. I. 10,48: bonos. III. 11,42: malos. ars. III. 654: datis. 486: novo. 482: bonae. I. 12: feros. rem. 484: nova. med. 56,80: duas. fast. I. 162: duos. II. 56: novi. III. 264: sacer. 516: novem. 802: trium. V. 702: duos. IV. 724: pio. 666: duas. V. 678: novos. V. 730: datum. 72: novae. 356: decens. VI. 440: piae. 752: dato. Ib 370: trium. 606: novi. trist. I. 6,24: dati (Perf. Pass.) II. 556: novas. 540: novum. III. 3,84: pium. IV. 3,42: piae. 10,6: pari. V. 2,50: minor. 5,36: duas. ex Pont. I. 10,28: nova. II. 5,36: levis. 8,56: trium. III. 1,36: breves. IV. 1,8: pio. 3,26: trium. 9,132: novo. 16,30: levi. Her. 1,34: senis. 4,98. 7,138: duas. 4,166: truci. 8,96: novos. 10,118: tribus. 17,144: novo. 12,192: duos. 19,144: trucem. 7,188. 14,128 brevi.

Quibus expositis quae de singulis adiectivis dicenda sunt, brevi colligam. Ac primum quidem locum adiectivum novus[27]) occupavit, non minus qu amsepties decies usurpatum, cui intervallo longo proximum numerale duo accedit, decem versibus frequentatum, octiens pius, quinquiens tres et datus ordinem claudit, ternis exemplis adiectiva brevis, levis, senex admissa extant, nec plus binis adiectiva par, cavus bonus. Reliqua omnia singulis exemplis passim occurrunt. Nec plus duo adiectiva in carminibus Tibullianis extare iam docui, quorum alterum etiam postea frequentissime usurpatum est, alterum propter formam polysyllabam, quae clausulam inelegantissimam praebet poetis bisyllabas tantummodo captantibus improbatum est. Deinde Propertius adiectivo novus, quod ter admisit carus pius levis senex (bis), nominis proprii adiectiva Arabs, Attalicus, participia latens, sedens, adiectivum polysyllabum in cas. obl. nobilis addidit. Ac quinque prima ab Ovidio quo-

---

[27]) Ov. ars III. 486. Pignora nec iuveni credite vostra novo scite a Luc. Muellero pro Pignora nec puero credita versta vola Merkilii emendatum est.

que recepta sunt, quibus addidit ἅπαξ εἰρημένα in carminibus amatoriis, malus, ferus, in fast. decens, novem, sacer, in exilii carminibus nonnisi minor, cetera quae primus in usum introduxit saepius trivit. Heroidum 4,166 tru sic ἅπαξ εἴρηται, adiectivum senex ceterum Ovidio ignotum ex Propertio delibatum est. Prop. III. 28, 54: Et Priami diruta regna senis: Her. 1,34: Priami regia celsa senis. Ceterum haud absurdum cognitu, quod adiectiva brevis, duo, tres, quae in Heroidibus extant in Ovidii carminibus amatoriis non admissa sunt.

Sed desunt adhuc sex hexametri ad numerum illum quem computavi explendum, ex quibus unus neque pronomine possessivo neque adiectivo sed attributo idem clauditur: trist. II. 40: Utere more dei nomen habentis idem, quinque reliqui dativo pronominis personalis mihi: Prop. II. 9,42. III. 32,20. Ov. trist. II. 104. 180. ex Pont. I. 3,32. terminantur.

Haec fere habui quae monerem, quae omnia quaestionibus quae supersunt clarius etiam comprobari posse contendo. Nam

Pars superat coepti pars est exhausta laboris:
Hic teneat nostras ancora iacta rates.



Vita.

Walther Rudolf Arthur Gebhardi, Borussus orientalis, die XXIII. m. Febr. a. 1847 Lyccae patre Rudolfo praedii possessore matre Julia e gente de Heugel natus et fidei evangelicae addictus sum. Ludis litterariis satis institutus in sextum Gymnasii Lyccensis ordinem a Fabiano directore receptus sum. Per decem annos gymnasii praeceptoribus utebar doctissimis, inter quos eminebant Hampkius, qui nunc gymnasio praeest, et Schaperus, a quo duodeviginti annos natus cum maturitatis testimonio dimissus sum. Itaque cum hi duo viri optime de me meriti mihi maximum studiorum philogicorum amorem excitassent, in academiam Berolinensem me contuli his studiis operam navaturus. Scholis ibi interfui Böckhii, Hauptii, Kirchhoffii, Hübneri, Kieperti, Werderi; Jenae Göttlingii, Nipperdei, Schleicheri, Kun. Fischeri, B. Schmidtii. Praestantissima comitate et liberalitate me sibi devinxit Gädechensius, cuius exercitationibus archaeologicis interesse mihi licuit. Aestate anni 1867 civibus academiae Albertinae adscriptus audivi Lehrsium, Friedländerum, Jordanum, Nitzschium, Schadium. Quibus omnibus praeceptoribus meis gratias ago maximas et debitam semper habebo memoriam.

Tabella ad illustrandas hexam. elegiacorum, qui binis substantivis et attributis construuntur, formas descripta.


Formae.	Tibullus.						Propertius.							Ovid. carm. amat.									Ovid fasti.							Ovid.													Heroid.			
														amor.			ars.														tristia.					ex Ponto.										
	I.	II.	III.	IV.	S.	N. P.	I.	II.	III.	IV.	V.	S.	N. P.	I.	II.	III.	I.	II.	III.	rem.	Medic.	S.	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	S.	Ib.	I.	II.	III.	IV.	V.	I.	II.	III.	IV.	S.	S. Ov.	N. P.		N. P.	S. G.	N. P. G.
1. b | β α a	23	14	12	10=	59	14	5	5	16	43	46=	115	17	16	16	11	15	6	14	11	3=	92	18	23	21	29	12	17=	120	15	10	15	21	10	12	13	14	15	12=	137	349	26	56	32	579	23
2. b β | a α	15	11	6	3=	35	25	27	8	20	21	31=	107	18	16	14	12	13	16	19	10	3=	103	17	19	9	16	13	15=	89	12	15	11	11	12	11	11	16	15	19=	133	325	27	72	24	539	25
3. b | α β a	23	7	4	2=	36	23	4	9	8	34	38=	93	21	16	12	15	9	11	19	17	3=	102	18	24	22	24	9	18=	115	10	12	10	18	10	10	18	7	7	12=	114	331	27	50	36	510	26
4. a β | b α	6	1	2	—=	9	94	13	4	5	9	16=	47	39	6	9	11	3	5	9	2	1=	46	10	9	3	7	15	2=	46	9	10	3	5	4	14	13	7	5	12=	82	174	51	36	50	266	51
5. a | α β b	1	—	3	—=	4	213	1	2	5	10	12=	30	66	8	11	10	7	8	10	14	3=	71	7	11	6	6	7	9=	46	8	11	6	12	10	8	6	16	6	16=	99	216	41	67	27	317	43
6. a | β α b	2	—	—	1=	3	284	—	1	8	11	10=	30	66	8	16	14	5	7	7	5	1=	63	5	5	12	10	5	7=	44	5	7	5	7	1	9	9	8	5	11=	67	174	51	44	41	251	54
7. b α | a β	—	—	—	—	—	—	2	—	1	3	4=	10	200	2	2	3	—	2	2	5	—=	16	2	2	1	1	—	5=	11	3	2	2	3	2	1	—	3	1	6=	23	50	180	20	90	80	171
8. a α | b β	—	—	—	—	—	—	—	2	2	—	4=	8	250	1	1	4	1	1	2	2	—=	12	1	5	—	1	1	4=	12	1	2	2	4	4	5	4	3	2	2=	29	53	180	14	129	75	182
9. b β | α a	8	4	3	1=	16	53	10	8	17	9	10=	54	37	15	11	7	7	7	8	9	4=	68	13	11	8	12	5	7=	56	11	6	3	8	9	7	6	6	7	16=	79	203	44	27	67	300	45
10. b | β a α	5	2	2	—=	9	94	—	—	3	3	3=	9	222	2	2	1	1	2	—	-	1=	9	2	—	—	—	1	—=	3	3	2	1	3	—	3	2	—	—	4=	18	30	300	10	181	58	235
11. b | α a β	—	—	—	—	—	—	1	—	1	1	—=	3	668	—	1	—	—	3	—	-	—=	4	—	—	—	1	—	1=	2	1	—	2	2	—	—	1	1	2	1=	10	16	563	2	905	21	651
12. a β | α b	2	—	1	—=	3	284	—	3	2	1	1=	7	286	—	—	—	4	1	2	3	1=	11	2	4	5	3	5	2=	21	1	2	5	8	2	1	3	5	3	2=	32	64	139	9	201	83	165
13. b α | β a	—	1	—	—=	1	854	—	1	2	5	3=	11	200	—	1	—	—	3	2	—	1=	7	1	—	1	—	1	2=	5	—	3	—	—	3	2	—	1	1	1=	11	23	391	4	452	39	350
14. a α | β b	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	1	—	—	-	—	—	—=	2	1	—	—	—	2	—=	3	2	—	1	2	—	1	—	—	1	1=	8	13	698	2	905	15	912
15. a | α b β	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—=	1	2004	1	—	1	—	—	—	—	—=	2	—	2	—	—	1	1=	4	—	2	2	—	1	1	—	—	2?	—=	8?	14	644	3	603	18	760
16. a | β b α	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—=	1	—	—	—	—	—	—	—	—	1	1=	2	3	3001	1	1811	4	3420
17. b β a | α	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—=	1	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	1	—	—	1	—	—	3	4	2253	—	—	4	3420
18. b β α | a	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	=	2004	—	—	—	—	—	—	2	—=	2	1	—	—	—	—	—=	1	—	1	—	1	—	—	1	—	1	—	4	7	1287	—	—	8	1710
19. b α β | a	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	—	1	1	3	3	3001	—	—	3	4561
20. b α a | β	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—=	1	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	9014	1	1811	2	6841
21. a β b | α	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—=	1	2004	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	13,683
22. a β α | b	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	1	9014	—	—	1	13,683
23. a α b | β	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—=	1	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	2	4507	—	—	2	6841
24. a α β | b	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—=	1	—	—	—	1	—	—=	1	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	2	4507	—	—	2	6841
S. S. L.	85	40	33	17	175	5	63	44	90	152	178=	527	3 - 4	92	97	89	65	72	95	81	21=	612	99	116	88	112	77	90=	582	82	85	69	105	69	87	87	88	75	117=	864=	2058	—	418	—	3178	—
S. S. L. P.	4—5	5	4	5=	5	—	5	4	5	3	2—3=	3—	4	4	4	4	5	4	4	5	2—3=	4	3—4	3—4	5	4	4	4=	4	4	4	4	3	4	4	4	4	4=	4	=	4—	—	4	—	—	4

Explicatio signorum:

S.=Summa unius cuiusque poetae versuum, qui ad nostram quaestionem pertinent.
S. Ov.=omnes Ovidii versus qui huc spectant computati; priores litterae S summam carm. amat., fast., exilii carm. indicant.
N. P.=numerus proportionalis.

S. G.=Summa generalis (omnia computantur).
N. P. G.=numerus propert. gener.
S. S. L.=Summa vers. huc spect. singulorum librorum.
S. S. L. P.=Summa v. singulorum libr. proportionalis.




LIBRARY OF CONGRESS
0 003 060 708 9